

1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE

SIGILLO CONFESSIONIS.

DISSERTATIO

QUAM

CONSENSU FACULTATIS JURIDICAE

IN ACADEMIA RUPERTO-CAROLINA

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS CAPESSENDIS

CONSCRIPSIT

FRANCISCUS UIHLEIN
KOENIGHEIMENSIS.

HEIDELBERGÆ
APUD CHRIST. FRIED. WINTER, ACADEM. BIBLIOP.
MDCCCXXVIII.

Non vincimur, sed instruimur, dum offeruntur meliora.

Inter contentiones, quae hucusque tam Jurisconsultorum quam Theologorum ingenia exercuerunt, illa de Sigillo confesionis minima vocari haud potest, eoque est majoris momenti, quo majori intervallo distant inter se virorum illorum sententiae. Dum alii Sigillum nunquam et nullo modo, nec directe nec indirecte, nec nominatim nec indeterminate aperiendum statuunt, alii mitiores sunt et agnoscentes sanctitatem atque illius inviolabilitatem, quaedam excipi volunt, in quibus revelare non solum liceat, verum etiam officium sit confessoris.

Illi respiciunt modo confitentem, ejus animum et confessionis finem, hi reipublicae quoque, ecclesiae atque aliorum hominum rationem habent. Quare etiam non mirandum est, quod variae sententiae inter se conciliari nequeant. Inde vero disquisitio rationum atque expositio admodum utilis esse videtur, in qua, si nihil novi prolaturus sum, forte excitabo ingenium, quod, re sagacius et diligentius pertractata, contentioni finem dabit.

Atque cum et Jureconsulti et Theologi ut forte perlegerent dissertationem fore sperarem, sententias celeberrimorum nonnullorum utriusque doctrinae scriptorum verbotenus citandas esse putabam, quia saepius nec jurisconsulti

opera theologorum, nec hi opera illorum in promptu habent. Et haec est causa, quae me excuset.

Usus sum scriptis auctorum, hanc materiam tractantium, Bejeri [1]), Tilesii [2]), Pertschii [3]), Anonymi [4]), Andresii [5]), Mülleri [6]), Droste - Hülshoffii [7]), Mittermaieri [8]) ac Breigeri [9]). Quam maxime desideravi Lochonii librum, qui inscribitur: du secret de la confession pour servir d'instruction aux confesseurs et pour rasseurer les penitens, sed omnis opera frustra fuerat adhibita.

---

1) De Sigillo confessionis. Jenae 1675.

2) De Sigillo confessionis. Regiomonti 1707.

3) Das Recht der Beichtstühle. Wolfenbüttel 1738.

4) Versuch einer theologisch-juristischen Abhandlung über das Wesen und den Unterschied des katholischen und protestantischen Beichtsiegels, hauptsächlich in Beziehung auf Entdeckung und Beweis begangener, wie auch auf Verhütung künftiger Verbrechen. Bamberg 1813.

5) Ueber das Beichtsiegel und die daraus abgeleitete Freiheit des Beichtpriesters von der Zeugenschaft, im neuen Archiv des Criminalrechts tom. 1. p. 556—577. tom. 2. p. 151—169.

6) Kirchenrechtliche Erörterungen etc. Weimar 1823. Erste Sammlung Nro. 2.

7) Rechtsphilosophische Abhandl. Bonn 1824. Nro. 2.

8) Ueber die Pflicht des Beichtvaters zum Zeugniſs, im neuen Archiv des Criminalrechts tom. 8. p. 343.

9) Ueber das Beichtgeheimniſs und das Recht der Obrigkeit, dessen Revelation zu fordern. Hannover 1827.

§. 1.

Sigilli notio.

Inter omnes religioni christianae addictos una eademque doctrina est omnium temporum ac regionum, peccata post baptismum commissa deleri et ignosci a divino numine poenitentia, eaque deficiente peccatorem nunquam culpa liberari atque reconciliationem acquirere posse. Quo modo autem illa peragatur persolvaturque, in varias opiniones abeunt doctores, dissidentes de poenitentiae indole. Varietatem omnem sententiarum hic enumerare judicioque submittere, minime mihi in animo esse potest, cum haec ad theologiae dogmaticae atque historiae dogmatum ecclesiasticorum disciplinam pertineat. Satis est memorasse, ecclesiam romano-catholicam docere [1]): „poenitentiam esse vere „ et proprie sacramentum: necessarium esse jure „ divino, confiteri omnia et singula peccata mor„talia, quorum memoria cum debita et dili„genti praemeditatione habeatur, etiam oculta „et quae sunt contra ultima Decalogi prae„cepta et circumstantias, quae peccati spe-

1) *Concil. Trident.* Sess. 14. cap. 1. 5. et can. 1. 7.

„ciem mutant . . . , et demum licere confi-
„teri peccata venialia."

Contrariam senteniam tuetur CALVINUS [2]) his verbis: „id officii sui unusquisque fide-„lium meminerit esse, si ita privatim angitur „et afflictatur peccatorum sensu, ut se expli-„care nisi alieno adjutorio nequeat, non negli-„gere, quod illi offertur a Domino remedi-„um: nempe ut ad se sublevandum privata „confessione apud suum pastorem utatur, ac „ad solatia sibi adhibenda privatam ejus ope-„ram imploret, cujus officium est et publice „et privatim populum Dei evangelica doctrina „consolari. Verum ea moderatione semper uten-„dum est, ne ubi deus nihil certum prae-„scribit, conscientiae certo jugo obligentur. „Hinc sequitur, ejusmodi confessionem libe-„ram esse oportere, ut non ab omnibus exi-„gatur, sed in tantum commendetur, qui ea „se habere opus intelligent. Deinde ne hi „ipsi, qui ea utuntur pro sua necessitate, ad „enumeranda omnia peccata vel aliquo prae-„cepto cogantur vel arte inducantur, sed quod „sua interesse putabunt, ut solidum consola-„tionis fructum referant."

CHEMNITIUS [3]) de poenitentia scribit: „pri-„vata confessionis usus apud nos servatur, ut „generali professione peccati et significatione „poenitentiae petatur absolutio."

---

2) Instit. l. 3. cap. 4. §. 12.

3) P. 2. Exam. cap. 5.

Discrimen in eo fundatum est, ut Catholici

a) poenitentiam tanquam sacramentum statuant,

b) confessionem et omnium et singulorum mortalium peccatorum necessariam habeant,

c) idque jure divino sic statutum ponant, cum Acatholici [4]) poenitentiae sacramentum esse negant, confessionem generalem ad poenitentiam sufficientem et privatam, quanquam cum enumeratione singulorum et omnium peccatorum non conjunctam, utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem existimant [5]).

---

4) Conf. PLANCK Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs II. B. 4 B. p. 92. III. B. 1 Th. 7 B. p. 105, 125.

5) Praecipui scriptores hanc materiam tractantes sunt ex parte Catholicorum: JOANNIS MORINI Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti poenitentiae. Venetiis 1702 fol. et ex parte Acatholicorum: JOANNIS DALLAEI de sacramentali sive auriculari Latinorum confessione. Genevae 1601. 4., contra quem non modo NATALIS ALEXANDER filum arripuit, sed etiam BOILEAU in historia confessionis auricularis ex antiquis Scripturae, Patrum, Pontificum et Conciliorum monumentis cum cura et fide expressa. Lutet. Par. 1684. 8. Conf. quoque BINGHAM orig. eccles. lib. 18. FLÜGGE, Geschichte des deutschen Kirchen- und Predigtwesens. tom. 2. p. 74. MARHEINEKE, System des Katholicismus in seiner symbolischen Entwicklung. tom. 3. p. 166—218. C. F. STAEUDLIN, Grundrisse der Tugend- und Religionslehre. Göttingen 1800. W. M. L. DE WETTE's Lehrbuch der christlichen Dogmatik, Berlin 1813.

TOMMASSINI, Vetus et nova ecclesiae disciplina p. 1. lib. 2. cap. 11 et reliq. WIEST, Institut. theologiae dogmaticae. Ingolstadii 1791. E. KLÜPSEL, Institut. theolog. dogm. Vindob. 1808.

Nemo negabit, primis Christianorum temporibus hanc confessionem fuisse publicam, quatenus peccata notoria et publica publice in ecclesia atque omnium fidelium in consessu non modo ab episcopis seu praesidibus enuntiata, sed etiam omnibus audientibus a reis ipsis confitentibus sunt renunciata. Id faciendum tam *Concilium Tridentinum* monuit [6]), quam istius moris reddidit rationem. Peccata secreta, nemini cognita, dum poenitens sacerdoti aperiebat, saepe admonebatur, ea per se ipsum publice fateri et in omnium aure evulgare, non quidem omnia, sed ea tantummodo, quorum confessionem judicabat sacerdos, ecclesiam aedificatum iri: caetera tegebantur, ne eorum evulgatio esset ecclesiae scandalo neve etiam periculum confitenti crearet [7]).

Publicam confessionem per NECTARIUM abrogatam esse, meminit SOCRATES, sicut et occasionem rei et quae omnino acciderint. Quanquam SOZOMENUS in singulis enarrandis differt, tamen inter se non ita repugnant, ut sociari non possint. Sic in ecclesia romano-catholica, abrogata publica confessione, privata vel secreta seu auricularis manebat, adhucdum viget et pertinet ad fidem [8]), omnia et singula confiteri peccata:. Augustanae Confessioni addicti genera-

---

6) Sess. 24. cap. 8. de ref.

7) MORINUS, l. c. p. 62. PLANCK, Geschichte der christlich-kirchlichen Gesellschafts-Verfassung. tom. 1. p. 510, 511, 513 nota 8.

8) *Concil. Trident.* Sess. 14. can. 7.

lem publicam confessionem, ut supra memoratum, tantum admittunt et privatam singulorum peccatorum non necessariam, at utilem habent. Cum hac privata confessione conjungitur confessarii obligatio, silentium perpetuum eorum, quae per confessionem aut occasione ejus quomodocunque cognita sunt, et quorum manifestatio poenitenti noxia esse aut confessionem molestam atque odiosam reddere possit, sanctissime servare nominaturque Sigillum confessionis.

§. 2.

Objectum Sigilli Confessionis. A. Catholicorum.

Sigilli confessionis objectum directe non nisi ad illa extendit, de quibus est sacramentalis confessio, sed indirecte id, quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum pertinet. Complectitur ideo

a) peccatoris nomen,

b) omnia jam perpetrata peccata mortalia, tam in genere quam in specie, ex quorum revelatione de notitia personae delinquentis conjici possit,

c) omnia venialia leviaque,

d) peccatorum circumstantias, ex quibus peccatoris nomen aliquo modo cognosci queat,

e) peccata et defectus complicis, quae manifestavit poenitens in confessione,

f) defectus et vitia cum naturae tum personarum, quae ex peccatis cognita sunt,

g) indispositionem poenitentis v. g. defectum doloris etc., quia hujus revelatio confes-

sionem redderet vel odiosam vel confitenti periculosam [1]). Tandem a nonnullis [2]) adnumeratur

b) id, quod parocho proprio sub sigillo confessionis extra ordinarium confessionis auricularis actum manifestatum est, quod vulgo dicitur: was vertraut wurde, als wäre es in der Beicht gesagt worden. Plane equidem consentio, non respiciendum esse ad locum, ad tempus, ad formulam solitam, ad sacerdotis vestimenta; sed ad rationem ac modum, secundum quem confitens peccata sua confiteatur et remedia salutaria audiat: at dissentio, quod attinet ad exempla a BOEHMERO adlata. Primum enim in c. 19. C. 2. q. 1. relatum, continet peccatum tertii, quod non est objectum confessionis alterius et confessarius non vi sigilli ad taciturnitatem obligatus est, sed ex amore, ut famae parcat: *arguimus in secreto, sed non*

---

1) BEIER l. c. p. 10. TILESIUS l. c. p. 3. PERTSCH l. c. p. 590. COBLET, Institut. theolog. moral. Parisiis 1775. tom. 5. p. 305. VOIT, theolog. moral. Wirceburgi 1762. tom. 2. p. 620. MAURI SCHENKL Ethica christ. Ingolst. 1801. tom. 3. p. 343. Ejusdem Institut. theolog. pastoral. Ingolst. 1802. p. 381. LUD. BAILLY, Theolog. dogmat. et moral. Lugd. 1817. tom. 4. p. 266—274. G. KOEHLER, Praktische Anleitung für Seelsorger im Beichtstuhle. Frankf. 1812. p. 77. SAILER, Handbuch der Moral. München 1817. 1 B. p. 533. REIFFENSTUEL, theolog. moral. Venetiis 1721. p. p. 357. conclus. 25.

2) BOEHMER, Jus eccles. Protestant. lib. 5. tit. 38. §. 48. BOEHMER, de obligatione ad revelandum oculta in Exercitat: ad Pandectas. tom. 6. p. 285. TILESIUS l. c. p. 4. PERTSCH l. c. p. 580.

prodimus palam, ut reducatur ad vitam Deo placitam: *persuadeo poenitentiam:* alterum amplectitur peccatum confitentis, qui exoneratus est conscientiam et magnum delictum committit revelans. Distinguendum esse videtur: quoties ex rebus vel verbis confitentis evidens sit, eum non accessisse animo poenitentiam agendi, sed ex alio fine, confessarium non teneri puto sigillo, quia non praecessit confessio sacramentalis. Sit, ut obliget secretum naturale seu pactum, si poenitens sub hoc vel illo recipi voluerit et sacerdos silentium promiserit. Non enim in cujuscunque potestate est, extra actum confessionalem sacerdoti imponere sigilli onus. Si vero quid concreditur animo poenitendi, nec locus, nec tempus, nec formula, nec vestimenta liberant a rigorosa obligatione, secretum observandi [3]).

§. 3.

B. Augustanae Confessioni Addictorum.

Quum confessio singulorum omnium peccatorum ad poenitentiam peragendam minime necessaria perhibeatur [1]), verbique divini minister

---

3) *Versuch* l. c. p. 55—57, 82. Beier l. c. p. 74. Eusebii Amort Theologia eclectica. tom. III. disput. 11. quaest. 9. Daniélis Concina Theologia christiana dogmatico-moralis. Romae 1750. tom. 9. p. 707. Nro. 4. Reiffenstüel l. c. in supplement. theolog. moral. p. 161. Contrariam sententiam defendit Breiger l. c. p. 19.

1) Confess. August. art. 11.

nihil, nisi confessionem generalem audit, de Sigillo sermo esse non potest. Nihil audit, nihil revelare non nequit. Quod autem ad licitam attinet atque utilem confessionem privatam, peccata, in ea manifestata, objectum sigilli constituunt, at non ea ratione, qua sacerdotes catholici ad taciturnitatem obligantur, ministri verbi divini obstringuntur, sed ex charitate, pacto interveniente et §. §. 5. et 6. allatis rationibus [2]). Haec obligatio non ejus est conditionis, ut in quibusdam casibus sigilli violationem non permittat. Quare ecclesiarum protestantium ordinationes [3]) idem sigillum Catholicorum inculcant et discrimen inter sacerdotis et ministri verbi divini obligationem prorsus cessat. Aliam sententiam defendit anonymus [4]), ast rationem intelligere nequeo differentiae, cum potestas legitima in utraque ecclesia sigilli praescripserit legem. Sequentia verba ideo ad divini verbi ministros illarum rerum publicarum sunt referenda, in quibus specialia mandata seu ordinationes Sigillum jubent.

§. 4.

Subjectum Sigilli Confessionis.

Ad secretum servandum obligatur

a) confessarius, sive verus sive fictus, quia

---

2) *Versuch* p. 1 — 29.

3) Boehmer, Jus eccles. Prot. lib. 2 tit. 21. §. 10. *Sächsiche* Verordnung von 1589 von der Beicht Art. 7. Hartmann, kirchliche Gesetze p. 1. §. 28. 430. Roman, Versuch eines badischen evangelisch-lutherischen Kirchenrechts p. 213. 214.

4) *Versuch* p. 27. Andres l. c. tom. 1. p. 263—365.

etiam in ultimo casu confessio saltem ex animo et sententia poenitentis est sacramentalis [1]),

b) confitens in iis, quae confessarius ipsam respiciens manifestationem dicit [2]),

c) interpres, quo uterque utitur. Multi [3]) quidem negant sigillum interpretis, quia peccatoris is potius, quam confessarii partes exequatur, dum huic delicta exponit ac nota reddit, et quia nec voluntatem nec ullam absolvendi aut ligandi potestatem habeat, Deique vices non gerat, illud tamen addentes, ejusmodi hominem ad reticendum audita eo modo, quo quemlibet alium, cui secreta sunt commissa, teneri. At rectiori sententia interpres non tantum est poenitentis instrumentum, sed etiam sacerdotis, indeque obligatus ad sigillum [4]),

d) consiliarius, quem confessarius consulit de poenitentis peccato,

e) superior, ad quem defertur casus reservatus ad impetrandam absolvendi facultatem,

f) adstans, qui sive invitus, sive de industria ac malitia confessionem audit, denique

---

1) Pertsch l. c. p. 529. Versuch p. 54. 55. Boehmer Diss. p. 285. Voit p. 618. 625., Concina l. c. p. 747. quaest. 17. Reiffenstuel p. 358. conclus. 36.

2) Collet l. c. p. 309. Beier p. 60. Voit p. 625. Contrariae sententiae favet Concina p. 748.

3) Tilesius, Bailly, Boehmer in diss.

4) Schenkl, theolog. past. p. 381. Amort l. c. quaest. 16. Simonet Institut. theolog. Nancii, tom. 9. p. 518—521.

g) reliqui, ad quos quocunque modo vel quaque via pervenerit notitia v. g. cum quis in nosocomio confitetur, nec alii aegroti lectum relinquere possunt vel qui alterius peccata scripta inveniunt. Inter theologos tamen controversia de eo orta est, an sub f. et g. enumerati tantum jure naturali vel sigillo confessionis teneantur, quam postremam sententiam debita sacramenti reverentia, securitas ac bonum publicum exigere videntur [5]).

Omnes sub a — g nominatos A. C. addictos ad sigillum servandum obligatos esse, deficientibus ecclesiarum ordinationibus, jure naturali, per se patet, unde etiam fieri potest, ut quis ea scientia utatur.

§. 3.

Rationes ex jure naturali haustae nequaquam inviolabile sigillum confessionis constituunt.

Ad sigillum confessionis servandum teneri confessarium, jure naturali probare tentatur et quidem

I. ex charitate erga alios, quae eam rationem nobis imponit illudque requirit, ut nemini manifestemus ea, ex quibus damnum capiat, et quae vetat, alteri facere, quod nobis ipsis fieri nolumus [1]).

---

5) Collet, Voit, Amort, Schenkl aliique.

1) Tilesius l. c. p. 3. Collet p. 303. Schenkl p. 380. Bailly p. 266 et reliqui fere omnes.

Ast ut charitas legitima sit, requiritur, ut

a) sit universalis, quae ad omnes omnino homines et ad omne eorum verum bonum pro viribus promovendum, ad malum autem impediendum seu avertendum se porrigit, et ut

b) bene coordinata existat; h. e. justo ordine exhibita. Cujus vinculum amplectitur omnes alios eadem vi ac potestate, qua confitentem. Si ex delicto vel perpetrato vel committendo plurimi homines damnum capient, an confessarius charitate obligatus esse potest ad servandum sigillum, ut ne eum quidem nominet, qui commisit et ad reparandum cogetur vel qui perpetraturus est, ut impediatur malumque avertatur? Estne haec universalis charitas aut bene coordinata? Ratio evincit in mutuo officiorum concursu, plures praeferri minoribus, privatisque communia. Illud qui negligeret, peccaret in genus humanum. Quod attinet damnum, confitenti manifestatione illatum, meminerit, quod ex actionibus illicitis commodum sibi paraverit: respectu bonorum temporalium restituit, quae non sua, sed alterius sunt, damnumque non sentit. Et quod spectat ad famam, propria conscientia existimatione, qua adhucdum gaudet, prius indignum declarat, et honorationis ipsi praestitae causa pudore afficit, quam quicunque alienus eam sibi detrahit, quae restitutione praestita acquiritur[2]. Proprio labore, propriisque factis debet homo laudem, cur in se non suscipiat ignominiam, suis

---

2) Breiger l. c. p. 67.

actionibus paratam? Voluit factum indeque etiam, quae hinc eveniunt. Eadem charitatis lex officium nobis imponit, ut ad alterum emendandum et, qui a recta via atque ordine discessit, reducendum ex nostra parte agamus, quantum in potestate est. Si delictorum ommissio, vitiorum abdicatio emendatioque animi efficitur revelatione ac societati civili, cujus juribus indignus fuit, homo jam deperditus denuo vindicatur, quae est causa, qua, quid poscat nostrum officium committentisque salus, facere probibemur? An vera charitas nominari potest, qua bonum temporale modo promoveatur, animus vero deterior fiat nec emendetur? Quod initio damnum videtur, in posterum salus est.

Item illud, quo aliis id facere vetamur, quod nobis ipsis fieri nolumus, interdicit quoque, ne unquam laedamus, sed cuique suum tribuamus. Quo non observato, an jus nobis competit, quo ab aliis poscamus, quod facere ipsi ommittimus? Omnis violatus et laesus (laedens ipse, si laesi partem habet) auctorem detegi et damnum reparari cupit, quod ergo sibi ipsi fieri vult, aliis concedat, necesse est. Et hac ratione id, quod prolatum est, magis rei adversari, quam illam probare videtur. Qui hoc fundamento niti conatur inviolabile confessionis sigillum, is, re subtilius ac diligentius considerata, sibi persuasum habebit, quam leve istud sit.

II. Alterum argumentum [3]) depromitur ex turpitudine revelationis, his fere verbis: nonne est pravum, turpe ac damnandum, ea mani-

---

3) Droste-Hülshoff l. c. p. 25.

festare, quae tanquam secreta nobis sunt commissa? nonne majus nefas, turpe damnandumque et omnem fidem violans fiduciamque, aliis aperire, quae sub certa conditione, ne cuiquam cujuscunque conditionis et ordinis manifestemus, credita sunt? nonne omnem pravitatis, turpitudinis et criminis modum excedit, qui officio atque promissione contemta, prodit commissum indeque fama privat et ad omnium contemtionem perducit hominem, qui, consilii, solatii admonitionisque indigus, contritione ac pudore agitatus, ad confessarium qua intimum amicum confugit, intima animi sensa aperiens, quoniam non ignorat, neminem excepto Deo, qui jam scit, de hac re certiorem fieri, quam, ut satisfaciat religionis officio, confiteri voluit? —

Ac sane equidem multum tribuo argumentis, ex ipsa ratione deductis, nisi modum illa excedant. Hoc vero loco eadem vi argumentationi illorum illud opponi poterit: est nefas, turpe maximeque damnandum, auctorem damni illati cognitum habere nec aperire hacque taciturnitate adjutorem esse, ut laeso damnum non resarciatur, ut res furtiva domino non restituatur ac vel tota familia cum innumeris liberis fame pereat. Rationis lex unum idemque poscit [4]). Forte quis objiciet, confessarii esse, ut

4) Quum de laesione semper loquor, notandum esse puto, omne peccatum continere laesionem vel juris alterius vel debitae existimationis legis positivae et quid de damno ex laesione orto dictum, ad alterum genus laesionis quoque esse referendum. Violatione legis existimationis dissensus inter legislatorem et violatorem nascitur, qui prorsus removeri debeat.

confitentem ad reparanda damna hortetur atque compellat? Sed si denegat et omnes monitiones vanae sunt, quid tum? An sigilli vis, lege naturali nixa, tanta esse potest, ut secreta aperiri nequeant? Jam omnes interrogentur, mihi certe persuasum est, unanimi consensu sententiam latum iri, qua sciens sine famae deminutione delinquentem nominare potest.

Deinde si laudatus auctor l. c. confessionis sigillum respectu futurorum delictorum negat, an revelatione promissio data non contemnitur, fiducia non fallitur, fides non frangitur? an crimina perpetranda minus sigilli objectum constituunt, et taciturnitatem requirunt, ac perpetrata? Quis peccata committenda alteri aperiet, a quo scit, evulgari et ad omnium, saltem eorum, quorum interest, notitiam perduci? Quaenam sit differentia inter delictum perpetratum et perpetrandum ratione fidei praestitae non intelligo: in utroque casu delinquens taciturnitatem servandam postulat et aperiens contra bonos mores [5]) agit. Ex his dictis apparebit, confessionis sigillum hoc argumento non tam firmum reddi, ut violari non liceat: imo, officium, concredita aperiundi, inde procedere.

§. 6.

Continuatio.

III. Beierus [1]) cum Molina desumit rationem ab ipsius rei naturam, scribens: quando vide-

---

5) Saltem secundum opinionem laud. auctoris.

1) l. c. p. 22. §. 13. Boehmer diss. p. 284. Pertsch l. c. p. 573.

licet delictum in se est occultum, quod eo casu ne privatus quidem alius, cui commissum est secretum, id manifestare possit? quasi dicat, unamquamque rem tractandam esse eo modo, quem natura illius desiderat, ne violentiam naturae videamur inferre: atque adeo, quae sub forma secreti nobis communicantur, publica facere non debemus, quia tunc secreti naturam amitterent. Latet igitur aliud argumentum in eo, quod longe minus deceat publicare secreta eum, qui tale profitetur vitae genus, ut taceat, dum nec alios decet hoc facere, quos nulla professio isthaec obligat: tanquam nihil agendum, quod pugnat cum propria professione.

Interrogare liceat, an officio suo fungatur is civis, cui sub forma secreti commissum est, a quo, quo modo, quo die, qua hora princeps occidatur vel qua ratione urbs vallo circumducta hostibus obsidentibus tradatur, vel quis furtum commiserit, quo toti familiae interitus paretur cujusque causa plures innocentes capiantur, vel quis pecunias pupillares furatus sit, quo facto pupilli fame laborare cogantur et curator, qui praeterea poena afficiatur, et an in his casibus civis ad sigillum servandum obstringatur? — ! Fac secreti naturam perire: in collisione enim officiorum juriumque semper principale obtinet primum locum. Hinc axiomati: unamquamque rem tractandam esse eo modo, quem illius natura poscat, addendum est: nisi alia officia atque jura aliorum violentur. Si peccatum ad delinquentem ipsum et solum spectat, res quaedam etiam adesse possunt, quae prohibent taciturnitatem v. g. muti-

latio, vis vitae propriae illatae etc. Argumentum in universalitate et absque limitationibus sumtum nimium indeque nihil probat, ac nullius est momenti sine determinatione, quot personae cujuscunque facti cognitionem habere possint, quin secreti desinat non carere qualitate.

De confessariis plane sileo, cum adhucdum probandum sit, eos tale profiteri vitae genus, quod tacendum sit.

IV. Multi [2]) sigillum confessionis eo tueri student, quod pactum, tacitum saltem, intercedere dicunt, quoniam id, quod in sacerdotali confessione confessario manifestatur, ea lege vel pacto certe deponatur a poenitente, ut sacerdos id solum, quod sui officii est, agat, h. e. soletur, medeatur, erigat, nec vero saecularem jurisdictionem admisceat: neque enim ut judicem illum audire volunt, aut tanquam testem, quin ne ut amicum quidem hominemque mortalem, sed ut Deum ipsum, qua fiducia fretum poenitentem accedere ad illum.

Ac poenitens confitetur

a) vel delicta committenda. Ea vero non impedire et tacere, ubi aliis infertur damnum, contra bonos mores est ipsumque pactum de his illicitum [3]). Quodsi nonnulli requirunt ad-

---

2) Beier p. 22. §. 14. Pertsch p. 573. Boehmer diss. p. 261. 284. Collet p. 303. Voit p. 512. Bailly p. 266 aliique.

3) Nam quae facta laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram et (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est. l. 15. D. de condit. 28. 7. l. 27. §. 3. 4. D.

hortationem, qua commovetur delinquens, ut desistat a delicto, et revelationem tantum concedunt, si admonitiones fuerint vanae, id velim scire, quibus rebus confessarius sibi persuasum habere possit, delinquentem revera deposuisse peccatum, praesertim cum in comperto sit, confitentes omnia polliceri nihilque explere. Objectum delictorum indeque ipsis nascentia commoda ubi vident, obliviscuntur adhortationum ac promissionum: at sibi ipse adscribere debet confessarius incommoda ex illorum factis provenientia non impedita.

b) vel delicta perpetrata. Quae si ejus sunt conditionis, ut eventus adhucdum sequatur, vel ut damnum aliis inde inferatur, vel si delinquens jam pluries idem commiserit delictum, v. g. incendium, furtum etc., quae est causa, qua a manifestatione prohibeamur? An pacto magis obligatur confessarius, quam officiis, quae tanquam civis in se suscepit?[4]) Pactum inter furem et celatorem initum non curat potestas civilis, uterque poena afficiuntur: an vero confessarius celatori non erit aequiparandus? Scit ille delictum et delinquentem atque servato sigillo ipsum impunitum esse sinit. Jurejurando[5]) obstante testes coguntur, cur pactum inter poenitentem et confessarium initum potentiori vi instructum existat?

---

de pactis 2. 14. Laymann theolog. moral. lib. 3. tit. 3. p. 2. cap. 5. Nro. 2. Voit l. c. p. 2. p. 622. *Versuch* p. 12—19.

4) *Versuch* p. 20—26.

5) cap. 4. 11. X. de test. cogend. 2. 21.

Re igitur accuratius ac sine judicio praeoccupato perlustrata, pactum interveniens[6]) referendum est inter phantasiae monstra et somnia. Confitentur Catholici, quia lege coguntur, qua deficiente ommitterent et poenitentia moti ad Deum confugerent misericordem, sicut Augustanae Confessioni addicti.

§. 7.

Rationes ex Sacramenti natura desumtae inviolabilitatem Sigilli haud probant.

I. Ex Sacramenti natura probatur sanctitas sigilli [1]) hoc argumento: qua lege CHRISTUS instituit poenitentiae sacramentum mortalesque ad edendam sacerdoti secretam confessionem obligavit, eadem simul confessario reciprocam injunxit fidem et taciturnitatem eorum, quae non alia, quam hac cognovit via: quod nisi ita esset, illud nemo facturus esset.

Praeter confessionem secretam primis ecclesiae saeculis publicam extitisse, nemo ignorat, et peccata publice commissa, quae scandalum praeberent, tantum poenitentia publica fuisse delenda, satis apparet ex poenitentiae historia. *Concilium Tridentinum*[2]) id faciendum non modo praecipit, verum etiam hujus moris reddit ra-

---

6) Andres l. c. tom. 2. p. 156.

1) Beier p. 23. §. 15. *Versuch* p. 42. Schenkl theol. past. p. 381. Koehler l. c. p. 76. Bailly aliique.

2) Sess. 24. cap. 8. de ref.

tionem. In qua sententia etiamsi concessurus sum doctrinam catholicam tanquam veram, qua CHRISTUS fideles ad edendam confessionem et omnium et singulorum peccatorum obligaverit[3]), inde non sequitur, fideles ad secretam confessionem obstrictos esse, multoque minus sigillum esse servandum [4]), quum historia doceat, pro delictis in confessione secreta manifestatis in aedificationem ecclesiae publicam adhibitam fuisse poenitentiam atque confessionem [5]). E multis testimoniis illud ORIGINIS [6]) adponam: „tantummodo circumspice diligentius, cui de„beas confiteri peccatum tuum: probo prius me„dicum, cui debeas causam languoris exponere, „qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum „flente, qui condolendi et compatiendi noverit „disciplinam, et ita demum, siquid ille dixerit, „qui se prius et eruditum medicum ostenderit „et misericordem, siquid consilii dederit, facias „et sequaris. Si intellexerit et praeviderit, ta„lem esse languorem, qui in conventu totius „ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo for„tassis et caeteri aedificari poterunt, et tu ipse „facile sanari, multa hac deliberatione et satis „perito medico illius consilio procurandum est.“ Quo modo autem haec aedificatio fieri potuerit, nisi publice exposito atque declarato peccato,

3) Conf. AMORT theol. tom. 3. disput. 2. quaest. 3. p. 44 etc.

4) PERTSCH p. 569 not. b.

5) Conf. §. 1. nota 7.

6) Homil. 2. in Psalm. 37.

non intelligo, cum etiam devotionis et pietatis causa, nullis detectis peccatis, poenitentia agèbatur publica.

II. Aliud argumentum ad probandam sigilli inviolabilitatem ex bono sacramentali sumitur [7]) hunc fere in modum: cum ejusmodi silentium impositum multum valeat ad sacramenti poenitentiae bonum, contra manifestatio eorum, quae ibi deteguntur, in detrimentum est cessura.

Quibus verbis respondet Andres [8]): multa in terris reperiuntur, quae difficilia, molesta sunt et odiosa semperque fuerunt, quae adhucdum existunt atque permanebunt, quamdiu terra erit, quia esse debent. Judices criminales priscis temporibus fuere odiosi, apparitores et politiae milites invidiosi per totam provinciam. An apparitor ideo male officio fungatur? an imperium criminale removendum? an propter subditorum odium abolendum est politiae institutum? Sane ridiculum est, ex poenitentiae bono vel detrimento sigilli rationem desumere. Num iste mos ante Leonem M. memoria evasit? an durae poenitentiae regulae priorum saeculorum oblivioni traditae sunt? et quid faciendum de illa lege, qua, inimicos ut diligamus, obligamur? Lex poenalis minatur ad tuenda omnium jura: quae antecedit legem minatio, justificat poenae illationem et qui videt et audit, ad taciturnitatem saltem obligatus esse nequit. An CHRISTUS (nam ab illo confessionem me-

7) Beier p. 23. §. 16. Bailly p. 266. *Versuch* p. 43.

8) l. c. tom. 2. p. 157. Conf. Müller l. c. p. 57.

diate vel immediate originem trahere dicunt), an ecclesia jus tribuere potuit, quidquam faciendi, quod summo imperio adversetur? An CHRISTUS omnium civilium obligationum primam sustulisse existimandus est? Quo posito, num illud spectavit, ut confessione instituta imperium civile muniretur et concordia inter Sacerdotium et Imperium delicta fidelium civiumque rariora fierent? — Haec igitur argumentatio nihil sanequam probat.

§. 8.

Continuatio.

III. Alia ratio ducitur ex institutione ac fine ad ligandum et solvendum[1]), quae solutio utique agnitionem et confessionem supponit, qua in re sacerdotes cautius oportet agere, ne quod in salutarem introductum est finem, favorem scilicet poenitentium, cedat in illorum proditionem et detrimentum: unde vel maxime illi silentio studere debent.

Videntur, inquit MARHEINEKE[2]), mortalium peccata modo adesse, ut sacerdotes existant, et confessio omnium singulorum delictorum necessaria videtur esse, ut confessarii, jurisdictione interna non inutiliter praediti, eam exercendi et adhibendi occasionem habeant. Con-

1) BEIER p. 21. §. 11. oppugnat hanc argumentationem, quia poenitentia sacramenti natura careat, qua tamen concessa nihil probatur.

2) System des Katholicismus tom. 3. p. 184.

fessionis finis est absolutio, quae cum revelatione bene consistere potest. Non intelligo, cur sacerdos, cum fur promissione data, se res amotas restituturum, absolutus postea, restitutionem recusat, non denunciet, vel si conjurationis socius omnibus iis, quae ipsum absolutione dignum reddunt, ex sua parte praeditus, illius auctorem nominare denegat, cur, ne res publica detrimentum capiat, scientia confessionali non utatur? Conf. §. 5. Nro. I. prolata.

IV. Homines a tam salutari remedio, in solatium animae sauciae instituto, absterreri dicunt, si scirent, secreta servatum non iri, quae confessi fuerint [3]).

In disciplina ecclesiastica antiqua, ut notum est, delicta oculta ipsa coram omnibus fidelibus manifestari debebant, confessario id in aedificationem ecclesiae utile judicante, nec ulla vestigia occurrunt, quibus intelligitur, alios hac evulgatione deterritos fuisse. Nonne etiam nostris temporibus fieri possit, quod prius factum est? Qui persuasum sibi habet, ad ipsius reconciliationem ea, quae privatim detegit, publice quoque manifestanda esse, illi publicatio solamen affert animique tranquillitatem, ut adeo minime confessionis desertio sit metuenda.

V. Jam accedo ad aliam rationem a Beiero [4]) his verbis allatam: minister verbi divini omnia tenetur ad aedificationem ecclesiae facere: re-

---

3) Beier p. 24. §. 17. Pertsch p. 573. Bailly aliique.

4) l. c. p. 26. §. 20.

velatio autem concreditorum in sacra confessione non vergit ad aedificationem ecclesiae, sive spectes confitentem, qui ex confessione sua consolationem quaerens, in anxietatem et infamiam deturbatur, sive reliquos, qui ejusmodi periculo perterriti aut nunquam aut aegerrime aut tandem non ingenue confitebuntur, quod alias et libenter et candide fecerint, si perpetuo involutum iri silentio sperarent.

Negandum est, revelationem non facere ad ecclesiae [5]) aedificationem. Si peccata sunt levia, v. g. humanae infirmitatis, qua quisque laborat, non infamiam illa afferunt, nec magnam parant anxietatem: sin vero delicta existunt majora, v. g. homicidium, furtum etc., magnae ecclesiae aedificationi erit publicatio, animi emendationem secuta. *Concilium Tridentinum* [6]) monet, pro publice commissis peccatis publicam quoque poenitentiam iis injungere licitum esse, ut, quos exemplo suo delinquens ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet viam: et respectu delictorum secretorum non esse divino mandato praeceptum, nec satis consulte humana aliqua lege praecipi, ut illa sint publica confessione aperiunda. Deinde si delictum contra societatem commissum spectetur, quo delinquens communionis indignus habeatur, confessio atque evulgatio et publicatio signum poenitentiae et emendationis erit, quae exultandi occasionem ac ra-

5) Conf. §. 7. Nro. I. ibique cit. *Concil. Trident.* et ORIGINIS verba.

6) Sess. 14. cap. 6.

tionem praebet ecclesiae. De reliquis taceo, cum jam de iis supra mentionem fecerim. Atque in universum hic admonendum esse puto, omnes hucusque pro inviolabilitate sigilli prolatas rationes refelli disciplina ecclesiastica antiqua, cum nemo negare possit, illis temporibus ecclesiam maximo atque summo flore gavisam esse. Quibus verbis autem non dico, illam duram disciplinam reduci oportere in ecclesiae salutem: sed mitigata poenitentia ecclesiam summum quoque perfectionis ac floris gradum assequi posse, neminem non latet.

§. 9.

Rationes pro Sigillo Confessionis.

a) Praxis.

Ex quo tempore confessio secreta licita erat, Sigillum quoque invenitur [1]). Testis est Basilius [2]) scribens: „adulterio pollutas mulieres et „confitentes ob pietatem vel quomodocunque „convictos, publicare patres nostri prohibue„runt, ne convictis mortis causam praeberent."

Paulinus presbyter et Ambrosii discipulus [3]) laudat sigilli sanctitatem his verbis: „quoties„cunque illi aliquis ob percipiendam poeniten-

1) Sozomenus in hist. eccles. lib. 7. cap. 16. Planck Geschichte der christlich kirchlichen Gesellschaftsverfassung tom. 1. p. 512.

2) Epist. canon. ad Amphiloch. can. 34.

3) In vita Ambrosii.

„tiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, „ut illum flere compelleret. Videbatur etiam „sibi cum jacente jacere. Causas autem crimi„num, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino „soli, *apud quem intercedebat;* loquebatur, bo„num relinquens posteris sacerdotibus exemplum, „ut *intercessores* apud Deum magis sint, quam „accusatores apud homines.“

Bernardus in tertia oratione de Apostoli Andreæ meritis habita ait: „videat sacerdos, ne „de his unquam, quae sub signaculo confessio„nis accepit, aliquam faciat mentionem, vel ali„cui loquenti consentiat: quod si fortuito de „his, quae suscepit in confessione, causa coram „eo fuerit ventilata, non tanquam conscius in „partem declinet, sed tanquam nescius judicia„rium ordinem permittat exerceri.“

Augustini verba [4]) silentio praetereo, sed Ferrandi Diaconi canonem citatum in compendio afferrentis sententiam praetermittere nolo, qua [5]) et illud continetur: „ut episcopus a com„munione non suspendat eum, quem asserit de „peccato aliquo sibi soli fuisse confessum.“

His addo Balsamonis sententiam, qui praeter explicationem cit. canonis Lucæ Patriarchae opinionem enuntiat, dicens: „nota ergo prae„sentem canonem propter episcopos et mona„chos, qui peccatorum hominum confessiones „audiunt et testimonium ferunt adversus eos, „qui dicuntur fecisse apud eos confessionem

---

4) c. 19. C. 2. q. 1.

5) lib. 2. cap. 7.

„criminis. Quod autem sit injustum unius te-„stimonium, lege etiam 75. (74.) canonem Apo-„stolorum. Sanctissimus quidem certe Patriar-„cha dominus LUCAS excommunicationis poenae „subjecit monasterii Gerostrophi praefectum, qui „fuerat archiepiscopus Heracliae, quod tale te-„stimonium tulisset adversus suum spiritalem „filium.“

Auctor libri de salutaribus documentis, qui AUGUSTINI operibus adjicitur, sigillum confessionis ex sui temporis usu [6]) affirmat: „si trans-„gredimur in aliquo peccato post baptismum, „nos abluere poenitentiae lacrimis curemus: quia „pius Deus dedit secundum baptismum, id est, „fontem lacrimarum et ordinavit nobis poeni-„tentiam propter fragilitatem nostram. Ideo de-„bemus nostras confessiones veraciter confiteri „et fructus dignos poenitentiae facere, id est, „praeterita ne reiteremus, secundum jussionem „Domini et consilium sacerdotis Deum timen-„tis. Qui sacerdos ut sapiens et perfectus me-„dicus primum sciat curare peccata sua et po-„stea aliena vulnera detegere et sanare et non „publicare.“

His adjungendus est IVO CARNUTENSIS [7]), qui interrogatus, qua ratione excommunicati vitari debeant, et non aperiunda confessionis secreta, postremam interrogationem sic expedit: „pec-„cantem, peccata sua secreto confitentem, non „debemus a nostra communione corporaliter

6) cap. 52.

7) Epist. 97.

separare nec contactu cordis ejus pravitati communicare. Hoc tenore utramque sententiam servabimus, et illam, qua praecipimur, excommunicatis non communicare, et illam, qua jubemur, confitentium crimina non propalare."

Pariter GREGORIUS [8]) confessariis sigillum imposuit: „sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinando pergat."

Ex his allatis testimoniis (qui plura discupiat, is facile in operibus, theologiam dogmaticam et moralem tractantibus, multa inveniet) apparebit, ecclesiae praxin fuisse, in confessione secreta non manifestanda revelata eosque, qui hoc fecerint, puniendos esse.

§. 10.

Continuatio.

Ad probandum confessionis sigillum citatur cap. 2. X. de off. jud. ord. 1. 31. Cui quum ANDRES [1]) omnem probandi vim denegat, ipsa decretalis verba ut perlustrentur, necesse videtur:

Si sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit et

8) c. 2. D. 6. de poenit.

1) l. c. p. 574.

emendare noluerit, nisi judiciario ordine quis probare possit, non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate. Sicut dixit Christus: Unus vestrum me traditurus est. Sed si ille, cui damnum illatum est, petierit justitiam, potest excommunicare auctorem damni, licet ei etiam confessus sit, sed tamen non nominatim potest eum removere a communione, quia non ut judex scit, sed ut Deus: sed debet eum admonere, ne se ingerat, quia nec Christus Judam a communione removit.

Cujus loci sensu investigato ac perspecto, nemo erit, qui neget, citatam decretalem non pertinere ad sigillum confessionis. Objectum sententiae[2]) spectat ad interrogationem: an judex ordinarius, qui non ignorat vel ex confessione vel aliunde, quemquam esse criminis reum, sed judiciario ordine illud probare non potest, eum excommunicandi habeat potestatem? Evidens est, de confessario qua tali non loqui capitulum, sed tantum de judice ecclesiastico: id quod clarius erit perpensis singulis verbis.

Sacerdos certissime scitor, aliquem esse reum criminis eundemque se emendare nolle, sed probare non potest notum aut confessum delictum, hinc statuitur regula: *non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate*, sicut CHRISTUS fecit dicens: Unus vestrum me traditurus est. Sed ille, cui damnum illatum est, petit justitiam, hinc proponitur altera regula: *potest eum excommunicare, neque vero nomi-*

2) Archiv tom. 1. p. 568—574.

natim. Decisionis fundamento caret sententia, ideo suppleatur, quia scilicet nec judex adest, nec judicium. Ex processu accusatorio

a) nihil absque legitimo et idoneo accusatore fiat. Nam et Dominus noster JESUS CHRISTUS JUDAM furem esse sciebat, sed quia non erat accusatus, ideo non est ejectus [3]):

b) persona judicis dividi non potest, ita ut ipse judex accusatoris induat personam: quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cujusquam ipse sit et accusator et judex [4]):

c) soli episcopo non creditur [5]):

d) scit judex ordinarius, ut Deus, sed nihil probare potest [6]):

e) excommunicari tantum possunt, quorum facinora aut ita nota sunt, ut probatione non egeant aut quae confessione evidenti manifesta sunt, aut judiciario ordine publicata aut sufficientibus testimoniis comprobata [7]).

Ex his colligitur,

1.) judicem qua talem nihil scire, sed ut Deum, et tanquam Deum se ut gerat, adjungo. Haec sunt, quorum constitutio Papae maxime fuerunt curae, sicut tertia regula probat: *si nempe excommunicatus a communione ipse se separare noluerit, removere eum non licet,* quia

3) c. 4. C. 2. q. 1.

4) c. 18. C. 2. q. 1.

5) c. 3. C. 6. q. 2.

6) c. 2. C. 6. q. 2.

7) Ivo epist. 97.

nec CHRISTUS JUDAM a communione removebat: quod idem est, ac si quis diceret, etsi ego eum per oculti judicii sententiam damnatum habeo, vos tamen adhuc illum per tolerantiam sustinete[8]), et qui per judicem auferri non possunt, tolerentur potius[9]).

2) sacerdoti illis in confessione secreta manifestatis uti non licere, nec eum, quem criminis reum esse vel ex confessione vel aliunde sine sufficienti argumento scit, excommunicare aut a communione removere posse. Quare etiam huic sententiae assentire nequeo, quae verba: „scit ut Deus", minime pertinere docet ad confessarium, sed ad sacerdotem, qui extra confessionem delicti certior factus est, cum mihi haec verba solum ad confessarium spectare videantur, quia

a) de rei emendatione sermo est, et judex ordinarius qua talis non ejus rationem habet, sed tantum justitiae: quia

b) verba: „licet sciat eum esse reum", explicanda et illustranda sunt verbis: „licet ei etiam „confessus sit": quia denique

c) sequeretur, omnem judicem ordinarium ea, quae scit, ut Deum scire, quod perversum est.

Omnino autem mihi non probatur haec sententia, ante decretalem citatam extitisse doctrinam, qua sacerdoti licebat uti iis, quae in confessione manifestata erant. Cap. 5. X. de ad-

8) c. 6. C. 2. q. 1.

9) c. 18. C. 2. q. 1.

ulterius §. 16, quo nititur ANDRES, aliter explicandum et interpretandum esse, infra [10]) probare studeo.

Quod vero attinet ad dicendi formulam: „ut Deus", ALEXANDER ea utitur tanquam termino technico theologiae antiquissimo [11]), et anonymus [12]) defendit eam contra BOEHMERUM [13]). Quanquam igitur decretalis cit. directe tantum regulas judici ordinario statuit, indirecte tamen exprimit, judicem, qui ex confessione secreta criminis reum scit, hac scientia uti non posse. Quae sententia conformis est praxi ecclesiae hucusque observatae.

§. 11.

Continuatio. b) Lex Ecclesiae.

Haec praxis tandem in *Concilio Lateranensi* IV. c. 21. [1]) legis vim obtinuit hac declaratione:

> Caveat (sacerdos) autem omnino, ne verbo aut signo aut alio modo quovis aliquatenus prodat peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque expressione personae caute requirat: quoniam, qui pec-

---

10) §. 15.

11) c. 51. D. 1. de poenit. Conf. *Concil. Trident.* Sess. 14. cap. 6.

12) *Versuch* p. 48.

13) Diss. cit. cap. 3. §. 2.

1) cap. 12. X. de poenit. 5. 38.

catum in poenitentiali judicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam poenitentiam perpetuam in arctum monasterium detrudendum.

Haec est lex oecumenici concilii, cui interfuere Hierosolymitanus et Constantinopolitanus Patriarcha, Metropolitani 70, Episcopi 400, Abbates 12, Priores conventuales 800. Receptio facta est sine ulla restrictione e civili imperio et confessarius magistratusque ad eam observandam obligantur, quare etiam sigillum confessionis omnia §. 2. relata objecta amplecti debet.

Valde errant, qui eam tenent opinionem, illam legem ab INNOCENTIO III. latam esse. Fieri potuit, ut papa legem ferendam proposuerit: num vero ex propositione jam concludi poterit, legem ipsam esse latam? vel proponenti ipsam potestatem leges ferendi esse? Neminem latet, leges Pontificis adhucdum indigere consensu aliorum episcoporum atque receptione, quibus deficientibus minime obligare posse, cum consensus patrum, qui concilio adfuerint, propositioni tribuat legis vim. Si conjectura concessa erit, quaedam decisio INNOCENTII occasionem praecepti dedisse videtur. CAESARIUS, Cisterciensis ordinis monachus, INNOCENTIO aequalis, narrat [2]): in domo quadam Cisterciensis ordinis monachus quidam sine ordine missas celebravit. Hoc cum quodam die Abbati suo

2) In historia memorabilium lib. 3. cap. 32.

retulisset in confessione, nec tamen cessare vellet a tanta praesumptione, abbas dolens ac lacrimans, ut a blasphemia tam magna desisteret, miserum rogavit, monuit et praecepit. Sed non profecit. Ille vero timens, ne notaretur, si cessaret, celebravit ut prius. In sequenti capitulo generali abbas idem proposuit casum eundem, interrogans, quid faciendum foret confessario, si forte tale quid in aliqua domo fieret? Cumque dominus Cisterciensis et caeteri abbates super hoc nihil auderent definire, casum scripserunt INNOCENTIO Papae, qui convocans Cardinales virosque litteratos eis proposuit, et quid de hoc sentirent, a singulis quaesivit. Omnibus paene in hoc consentientibus, confessionem non esse prodendam, respondit: *Ego dico in tali articulo esse prodendam, quia talis confessio non est confessio, sed blasphemia, nec debet confessor blasphemiam tantam ac insaniam celare, per quam periculum incumbere poterit toti ecclesiae.* Et placuit sententia omnibus scripsitque sequenti anno capitulo, quod fuerat a se determinatum et a Cardinalibus approbatum [3]). Concilio Lateranensi hanc decisionem INNOCENTII reprobante, rescidit determinationem legemque sanxit in omnes futuros casus. Quare adjungam LAUNOII[4]) verba: „Haec autem determinatio non placet ANDREÆ

---

3) Defensio declarationis conventus Cleri Gallicani auctore BOSSUET edit. Mogunt. tom. 2. p. 180.

4) Ejus Opp. Coloniae Allobrogum 1731 edita tom. V. p. 2. p. 43.

„Duvallio, qui in lib. de Rom. Pontific. auc-
„toritate part. II. quaest. V. illam sic reprobat:
„Innocentii responsio simpliciter et absolute
„data, non solum communi theologorum doc-
„trinae adversatur, ut videre est apud Navar-
„rum in cap. Sacerdos de poenit. D. 6., sed
„etiam Lateranensi Concilio cap. 21. sub eodem
„Innocentio celebrato repugnare videtur. Sed
„rectius et seriei temporum convenientius di-
„ceretur, Lateranense Concilium Innocentii et
„Cardinalium, id est, Sedis Apostolicae deter-
„minationem rescidisse . . . . . Et quamvis
„Innocentius concilio huic praefuerit, Concilium
„tamen Innocentio et Sede Apostolica majus,
„Innocentii consentientis opinor et Sedis Apo-
„stolicae determinationem rescidit et contrarium
„definivit“ [5]).

Quae prolata sunt, satis probant, Innocentium sigilli sanctitatem et inviolabilitatem haud agnovisse et Concilium Lat. contra sententiam Pontificis legem dedisse. Ast lata lege, Innocentius [6]) scribit: „gravius peccat sacerdos, qui „peccatum revelet, quam homo, qui committit.“ Applicationem legis cit. continet cap. 13. X. de Excess. praelat. 5. 31.

---

5) Ante Concil. Lat. in una sententia convenisse theologi non videntur, quae diversitas can. 21. removebatur. Idem valet nostris diebus de matrimonii vinculo dissolubili vel indissolubili. Concilii oecumenici decretum controversiam solvere solummodo potest.

6) Sermo 3. de Consecrat.

§. 12.

Sententia a) recentiorum Theologorum de Sigillo confessionis.

Quum jam §. 9. Theologorum priorum saeculorum sententias nonnullorum retulerim ad probandam ecclesiae praxin de confessionis sigillo, restat, ut, quid recentioris temporis theologi quidam senserint, nunc in medium proferam. Nam omnium ex tempore Lateranensis Concilii usque ad hunc diem, qui de hac re scripserunt, sententias si afferre vellem, dissertationis limites transgrederer.

Collet [1]) ad quaestionem: quomodo obliget lex secreti? respondet: „eam in quacunque materia obligare sub mortali (peccato) [2]). Quia venialis „culpae revelatio, licet gravem poenitenti infamiam „non inurat, gravem semper in Sacramentum irreverentiam invehit, cum homines a valde utili venialium confessione retrahat, imo et mortalium: cum „poenitentes multi venialia habeant pro mortalibus et „aliquando malit, miles v. g. grave suum revelari, „puto duellum, quam veniale aliquod, puto, invidiam „in commilitonem."

Voit [3]) ait: „Sacerdos sub strictissima et gravissima obligatione tenetur sigillo servare ea, quae

---

1) Institut. Theol. moral. Parisiis 1775 tom. 5. p. 304. Quae rationes!!

2) Conf. Sarpi historia Concilii Tridentini. Frankf. 1621 p. 401.

3) Theologia Moral. p. 2. p. 511.

„in ordine ad confessionem sacramentalem ei sunt
„manifesta [4]).“

SCHENKL [5]) scribit: „Sigilli sacramentalis obliga-
„tio exceptioni nulli est obnoxia et pro omni tempore,
„etiam post poenitentis mortem et pro omni prorsus
„casu urget: extendit se etc. Imo nec cum ipso poe-
„nitente extra confessionem, nisi petito et liberrime
„dato ejus consensu, de iis, quae ex sola confessione
„nota sunt, loqui confessario licebit. Qui idem de
„cognitis ex confessione, etsi personae poenitentes
„minime nominentur, nunquam citra causam gravem
„et semper cum summa cautione loquatur, sollicite-
„que caveat, ne directe fors aut indirecte personam,
„imo communitatem suspectam reddat, aut audien-
„tium, praesertim rudium, offensioni ansam praebeat.
„. . . Notitia per confessionem parta, citra expres-
„sam poenitentis facultatem uti non licet etiam ad
„impedienda poenitentis aut aliorum peccata aut quod-
„cunque bonum procurandum, si per hoc confessio-
„nis usum difficiliorem aut sacramentum odiosum reddi
„possit.“

BAILLY [6]) dicit: „in nullo casu licere sine libera
„et expressa poenitentis consensu peccata per con-
„fessionem sacramentalem cognita revelare nec verbo
„nec facto, nec nutu nec aliquo signo, nec propter
„finem quantumlibet honestum, neo pro morte ipsa
„devitanda, nec pro bono spirituali aut temporali

---

4) Concedit tamen p. 513. revelationem cum consensu poenitentis expresso factam, de qua inferius §. 21. sermo erit. Secretum naturale, ait p. 622, non semper pro semper obligat, sed ex justis causis cessat ejus obligatio, v. g. si observatio secreti cedat in grave damnum reipublicae aut personae innocentis etc. etc.

5) Theolog. pastoral. p. 381. In additis notis clarius exponitur materia.

6) l. c. quaest. 1. an aliquando liceat confessionis sigillum infringere?

„poenitentis, nec pro republica a quolibet malo tu„enda. Ratio est, quia, si licitum esset, aliquo casu, „inquit Concilium Senonense an. 1524, revelare pec„catum sibi dictum in confessione, nemo vellet pec„cata sacerdotibus detegere sicque totaliter subver„teretur respublica christiana. Insuper multo melius „per inviolabilem sigilli fidelitatem reipublicae civilis „damno confessarius medetur, quam per illius infrac„tionem, quia multa scelera in rempublicam et prin„cipes per confessionem impediri possunt, si inviola„biliter servetur confessionis sigillum: verum aliter „res se habebit, si licitum sit, occulta peccata pro„dere, quia nullus sua crimina sacerdotibus commit„tet. Confessarius vero potest ac debet reipublicae „principem monere [7]) de periculo imminenti, ita ta„men, ut, inquit Thomas in supp. q. 11. art. 1., non „dicat aliquid, per quod verbo vel nutu confitentem „prodat.“

Koehler [8]) sententiam profert his verbis: „Der Beichtvater ist auf das strengste verbunden, „das, was ihm in der Beicht ist geoffenbart worden, „geheim zu halten. Weder Gelegenheit, weder eine „noch so grofse Wichtigkeit der Sachen können ihn „auch unter Bedrohung der schärfsten Strafe und „selbst des Todes von dieser Pflicht loszählen. In

---

7) Admonitio non videtur ex hac doctrina esse fractio Sigilli! ! In quaest. 5. laud. auctor scribit: sacerdotem, qui per confessionem sciat, venenum, quo debeat uti in sacrificio missae, esse veneno infectum, si a celebrando non possit abstinere nec mortem effugere, nisi reum detegendo, ita teneri, ut vitae periculum faciat potius, quam confessionis sigillum aperiat. Cur se ipsum non admonere liceat, ut, qui vino venenum immiscuerit, sicut in proposito casu, deprehendatur in facto? Conf. *Archiv* tom. 2. p. 155.

8) Praktische Anleitung p. 70.

„solchen Umständen kann der Beichtvater versichern, „ja, wenn es nothwendig ist, schwören, daſs er von „dem, was man ihn fragt, nichts wisse. Sobald das „Beichtkind auſser dem Beichtstuhle sich befindet, „darf der Beichtvater ohne dessen freiwillige Er„laubniſs nichts von der kurz abgelegten Beichte, „wenn es auch noch so nothwendig und kein anderer „Mensch zugegen wäre, mit ihm reden. Auch darf „der Beichtvater der von dem Büſser in der Beicht „erhaltenen Kenntniſs auſser der Beicht, um ihn zu „bessern, zu strafen, oder aus was immer einer Ab„sicht, sich nicht bedienen.“ Et p. 76. laud. auctor pergit: „Das Beichtsiegel ist göttlichen Inhalts[9]): „es entsteht aus dem allen Gläubigen von Christo „anbefohlenen Bekenntnisse ihrer Sünden. Welcher „Mensch ist verbunden, seine heimliche Fehler zu „bekennen, wenn er weiſs, daſs sie hernach ausge„posaunt werden? Der Uebertreter des Beichtsiegels „versündigt sich also schwer

„1) wider die Einsetzung dieses Sakramentes, in „welchem Alles auf das heiligste verborgen bleiben „soll:

„2) wider die Treue, weil er das, was der Büs„ser ihm unter der Bedingung der strengsten Ge„heimhaltung anvertraute, offenbarte:

„3) wider die Gerechtigkeit, weil er den Näch„sten diffamirt. Und

„4) macht er das Sakrament äuſserst odiös[10]).“

Sailer[11]) scribit: „In Hinsicht auf die indivi„duelle Seelenpflege wird der Kirchenvorsteher a) „nicht nur das Beichtsiegel unverletzt bewahren, und „im Reden und im Winken sogar jeder Gefahr, die

---

9) Dictum, sed non probatum. Conf. §. 7. Nro. I.

10) Conf. §. §. 5 — 9. Cur non laedit praeceptum ecclesiasticum?!

11) Handbuch der christlichen Moral tom. 3. p. 121.

„auch von ferne eine Verrathung des Geheimnisses „herbeiführen könnte, mit erster Sorgsamkeit aus „dem Wege gehen, sondern u. s. w.

Sufficiant relata testimonia, quibuscum porro conferri poterunt JOANNES DE LUGO[12]), REIFFENSTUEL[13], DANIEL CONCINA[14]), VUITASSE[15]), JOH. DARTIS[16]), SIMONNET[17]) atque EUSEBIUS AMORT[18]).

§. 13.

Sententia b) Doctorum juris canonici.

Primum locum obtinet EMAN. GONZALLEZ TELLEZ, qui scribit[1]): „haec obligatio est perpe-

---

12) Disputationes scholasticae et morales etc. Lugduni 1661. disp. 23. p. 491 — 518.

13) Theologia moralis. Venetiis 1727 p. 357. et suppl. p. 161. 162.

14) Theologia christiana dogmatico-moralis. Romae 1750. tom. 9. p. 737. quaest. 4.

15) Tractatus de Sacramento poenitentiae. Parisiis 1728 p. 614 — 618.

16) Tractatus de poenitentia cap. 16. in Opp. p. 1.

17) Institut. theologiae. Nanceii 1726 tom. 9. p. 507 — 514.

18) Theologia eclectica. Augustae Vindelicorum et Wirceburgi 1752 tom. 3. disput. 11. quaest. 4. et ibi citata duodecim theologorum testimonia.

1) Commentaria perpetua in singulos textus quinque librorum Decretalium Gregorii IX. ad cap. 2. de off. jud. ord. 1. 31., quo in loco nonnulla concilia particularia quoque referuntur.

„tua etiam post mortem ipsius poenitentis, et illa „arctiori vinculo obstringit confessarium, quam votum „aut juramentum, nec ecclesia potest ullo modo in „hac obligatione dispensare, nec si reipublicae totius „salus aut ecclesiae vertatur, nec etiam si hujusmodi „revelatio prodesset ad impediendum matrimonium „ob impedimentum, quod in confessione sacerdos „noscit, nec etiam ad salvandum foetum defunctae „matris emortuae potest confessarius violare sigillum „confessionis. Nec solum peccatum confessum jam „commissum sacerdos revelare non potest, verum „nec committendum, licet contrariam sententiam tuean- „tur nonnulli cogesti a LEANDRO.“

Sequitur WIESTNER [2]), cujus haec est sententia: „quare cum nemo sit, qui secreta praeser- „tim peccata propria confessione alii commissa aliis „celari non velit, eadem secreta revelatione commissa „sibi ipse quoque celare tenetur. Divino autem, quia „ex perpetua traditione et praxi ecclesiae constat, „sacramentum hoc a Christo institutum, ut fidelibus, „quorum salutem spectat, non nimis onerosum sit et „exosum, quod tamen fieret, si peccata in eo sacer- „doti, Dei vices gerenti, secreta confessione pro ob- „tinenda absolutione detecta, ullo casu vel ex ulla „etiam gravissima et publicae necessitatis vel utilita- „tis causa prodere sine ipsius confitentis voluntate „liceret: licet alias reum vel peccatum occultum ex- „tra sacramentalem confessionem cognitum et sub si- „gillo etiam confessionis (ut aliquando loqui solent) „detectum non manifestandi secretum naturale sive „istius obligatio cesset, casu quo ejus detectione „grave malum reipublicae impediri aut etiam alicujus „innocentis vita servari posset.“

---

2) Institutiones canonicae sive Jus eccles. praelectionibus et exercitationibus academicis ad Decretalium Gregorii IX. libros quinque in lib. 5. tit. 38. art. 5. Nro. 93.

Pichler vero [3]) hanc sententiam exprimit his verbis: „sigillum confessionis ita stricte obligat, ut „nullo prorsus casu licitum sit revelare peccatum de„pendenter a confessione cognitum, nisi ipse poeni„tens facultatem dederit. Ita unanimis contra Altisi„dorensem Theologorum sententia et communis eccle„siae sensus atque perpetua traditio. Ratio, quia, si „vel unico in casu humana potestas in obligatione „sigilli dispensare posset, absterreri ab integritate et „usu sacramenti poenitentiae, tantopere relapsis post „baptismum necessarii, homines possent atque illu' „redderetur magis onerosum, quam Christus instituit: „ut adeo nec liceret revelare aliquid ad evitandum „proximi necem vel ad ipsius etiam reipublicae aut „totius mundi extremum malum declinandum vel ad „quodcunque bonum cuique procurandum, licet ac„cederet consensus Sedis Apostolicae."

Scribit porro Schmalzgruber [4]) eadem de re: „atque ex hoc tertio capite (jure divino) oritur ma„ximus ille rigor hujus secreti, adeo, ut ex nulla „etiam gravissima et publicae necessitatis et utilitatis „causa liceat sacerdoti prodere peccata, quae ipsi „pro obtinenda sacramentali absolutione in secreta „confessione detecta sunt, quo modo nullum sigillum „naturale obligat."

Ad quaestionem: cur publica salus non aestimanda sit magis, quam sigillum, quod privatum poenitentis bonum spectat? respondet Lupoli [5]): „sed 1) lex sigilli totius ecclesiae utilitatem „respicit, securitatem nempe omnium fidelium, qu „sibi persuasum habent, peccata sacerdotibus pate

---

3) Summa jurisprudentiae sacrae lib. 5. tit. 38. Nro. 16

4) Jus ecclesiast. universum ad lib. 5. tit. 38 Nro 59.

5) Praelectiones juris ecclesiast. Neapoli 1777 tom. 3. p. 174.

„facta, nusquam alteri aperiri posse: 2) ex jure na„turali cessabit, si grave inde reipublicae incommo„dum emergat. Verum sacramentalis sigilli obligatio „praecipue nascitur ex jure divino, cui nullo pacto „potuit derogari. Tunc enim infractio secreti hujus„modi αμεσως immediate adversaretur naturae sacra„menti, qua sacerdos, qui Christi auctoritate peccata „dimittit, modum etiam tenere debet, quem ille te„net, cujus ipse est minister. Tum praeterea de„strueret finem sacramenti, ut fideles nempe libenter „eo accederent, absolutionem consequturi. Quinam „contra peccata aperirent, si pandi etiam posse for„midarent."

Cum adductis juris canonici scriptoribus consentiunt LAYMANN 6), CANISIUS 7), CABASSUTIUS 8), SCHMIDT 9), RIEGGER 10), GMEINER 11), SAUTER 12), GAMBSJÆGER 13), G. L. BOEHMER 14), J.

6) Jus canonicum. Dilingae 1666 ad lib. 1. tit. 31. p. 702.

7) Summa juris canonici. Ingolstadii 1600 p. 99.

8) Jur. canonici theoria et praxis. Lugduni 1709 p. 356. Nro. 1. et p. 253. Nro. 3.

9) Institut. juris eccles. Bambergae 1778 p. 311.

10) Institut. jurisprud. ecclesiast. Vindobonnae 1777 p. 2. p. 362.

11) Kirchenrecht. Grätz 1790 tom. 2. p. 271.

12) Fundamenta juris eccles. Catholicorum. Friburgi 1816 tom. 5. p. 29. §. 674. et not. c.

13) Jus eccles. Heidelbergae 1815. tom. 2. p. 624. §. 310. Nro. 2.

14) Principia juris canonici. Goettingae 1802. p. 251. §. 318.

H. Boehmer [15]), Brendel [16]), Roman [17]) multique alii, quos omnes allegare atque citare longum utique et superfluum videtur.

§. 14.

Sigilli fractio.

Sigilli fractio est detectio ejus, quod objectum sigilli amplectitur et quidem vel

a) directa, qua id reveletur expressis verbis, quod ex sola confessione cognitum est, vel

b) indirecta, qua quid aperiatur dicendo vel faciendo, ex quo quis cognoscere aut suspicari possit peccatum vel poenitentis defectum, ex sola confessione cognitum et peccatori vel alii cuipiam infamia aut damnum inferatur [1]).

Nec minus fractio sigilli fieri potest vel

a) nominatim, qua, de certa persona quid ex confessione cognitum sit, vel

---

15) Jus eccles. Protest. lib. 5. tit. 38. §. 44—51.

16) Handbuch des katholischen und protestantischen Kirchenrechts, mit geschichtlichen Erläuterungen und steter Rücksicht auf die neueste kirchliche Verhältnisse in den deutschen Bundesstaaten und namentlich im Königreiche Bajern. Bamberg 1823. p. 323. 390. 582. Sententia, quam Andres protulit, recepta est ab auctore.

17) Versuch eines badischen evangelisch lutherischen Kirchenrechts. Pforzheim 1806. p. 213. §. 364. 365.

1) *Versuch* p. 58.

b) indeterminate, qua nulla mentione personae facta [2]) quid manifestetur. Neque directe, neque indirecte, nec nominatim nec indeterminate [3]) facta revelatio confessario permissa est. Concilium Lateranense generaliter sine ulla exceptione silendi vinculum constituit et neutiquam concessit sacerdoti potestatem, quidquam revelandi, sed eum, qui detegisse convincitur, poena afficit. Ubi lex non distinguit, interpretis non est, distinguere, et ubi legislator non statuit exceptionem, ibi non est judicis, illam statuere. Cujus sigilli sanctitatem et inviolabilitatem semper Jurisconsulti agnoverunt, ut testimonia infra [4]) citanda comprobant.

---

2) V. g. siquis dixit, in hac vel illa communitate multos esse adulteros.

3) Auctor des *Versuchs* p. 61, uti licere ait scientia ex confessione acquisita, si confitenti nullum malum ex usu nascatur, nec confessio alteri reddatur odiosa ac molesta. Haec assertio nititur decreto Congregationis s. officii, edito 18. Novembris 1682 et decreto Clementis VIII. edito 26. Martii 1594. Conf. Euseb. Amort in tractatu de sigillo confessionis quaest. 3. 4. Ast differentia est inter proprium usum scientiae ex confessione acquisitae et inter revelationem alteri factam, quum rationes et circumstantiae omnes praevideri non possint, ita ut certissime affirmare liceat, confitentem nullo tempore incommodum capere vel confessionem non reddi odiosam. Conf. Schenkl theol. past. p. 357, ubi revelatio confessionis auditae sine ulla exceptione in dioecesi Ratisbonensi casibus reservatis adnumeratur.

4) §. 19.

§. 15.

Objectiones refelluntur.

Andres [1]) affirmat: cap. 5. X. de adulteriis 16. omnino contrarium esse sigillo confessionis, cum violatorem secreti impunitum esse mat. Quod falsum esse ut melius intelligatur, ap. cit. verba ipsa adscribam:

Significasti nobis, quendam presbyterum cum alterius conjuge inter ecclesiam dormivisse, quae se et illum cuidam sacerdoti hujusmodi delictum confessos fuisse, publice tibi detexit et hoc ipsum idem sacerdos nomen adulteri celans in praesentia tua dixit. Super quo quod fieri debeat, cum negante adultero mulier in confessione persistat, consilium requisisti. Ideoque mandamus, quatenus condignam poenitentiam praefatae adulterae imponens, ecclesiam per aspersionem aquae benedictae reconciliare procures. Praedicto autem sacerdoti, ne (contra Apostolum) infirmorum corda mala fama ipsius percutiantur et ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores presbyteri existentes in peccatum licentius prolabantur, cum viciniis quinque presbyteris, quos se nolle pejerare cognoveris, juxta arbitrium tuum purgationem indicas: quem, si purgare se poterit, in officio suo ministrare permittas: alioquin ab officio suo ipsum suspendere non postponas.

---

1) *Archiv* tom. 1. p. 573.

Quomodo hoc capitulum afferri possit a probandam sigilli violabilitatem, equidem no video. Nam

1) factum mihi videtur esse: presbyter A adulterium commisit in ecclesia cum alteriu conjuge, B nomine. Uterque confessario C confessi sunt crimen et adultera B publice detex sacerdoti D (se et illum confessos esse delictum), cui et confessarius C idem delictum dixit celans adulteri nomen. Super hoc, cum adulte negaret et mulier in confessione persisteret consilium quaesivit D, quod datum est his verbis: ecclesiam reconciliandam, ab adultera B condignam poenitentiam requirendam et adultero A cum vicinis quinque presbyteris purgationem esse indicendam. His consilium impertitum est de eo, quod requisitum. De confessario C nullum postulatur consilium indeque etiam nulla decisio et responsum. Fatetur ipse Aud. auctor[2]): Alexandri responsa nihil amplecti, quod non pertineat ad rem et vanum laborem esse, quidquam addere vel subtrahere et facinus, voluntatem expressam aliter interpretari, sed eorum, quae antea dixerat, oblitus ille esse videtur.

2) titulus, qui decretalem continet, loquitur tantummodo de carnali crimine: qua ratione a modo decisio ibi recipienda erit, cujus objectum omnino alia res est?

3) decretalis potius sigilli sanctitatem probare videtur: pontifex enim, nisi agniturus es-

2) l. c. p. 568.

set inviolabilitatem, confessarium C ad testimonium perhibendum de adulterio provocare potuisset. Hac via facti certitudo ac veritas multo facilior existeret, quam conjuratoribus.

4) res haud dubia relinquitur, si verba: „confessos esse“, non de sacramentali, sed de extrajudiciali confessione intelliguntur [3]).

Quidquid est, decretalem cit. nihil contra sigilli vinculum probare inde satis apparebit.

§. 16.

Continuatio.

Boehmer [1]) et Pertsch [2]) sigillum indirecte frangi contendunt, si confessarii juxta Bullas Pauli IV. et Pii IV., confirmatas a Gregorio XV. anno 1622, confitentes cogunt, ut contra sollicitantes sacerdotes, qui poenitentis pudicitiam in ipso actu confessionis attentaverint aut violaverint, tam atrox facinus officiali denuncient et ita inquisitioni locum faciant. Adjungenda est quoque constitutio Benedicti XIV., quae incipit: *Sacramentum poenitentiae*, edita 1. Junii 1741 confirmans priores et amplians [3]).

---

3) Navarrus in Summa c. Sacerdos de poenit. dist. 6. Nro. 126.

1) Jus Eccles. Prat. lib. 5. tit. 38. §. 47.

2) l. c. p. 588.

3) Exempla confessionis abusus refert Müller l. c. p. 70.

Quae constitutiones quanquam non ubique receptae sunt [4]) ideoque etiam non obligant, tamen non desunt rationes, quae sigillum tali denunciatione non frangi probent. Sollicitatio est factum alienum, quod qua tale objectum sigilli non amplectitur. Tanquam testis apparet sollicitatus, qui, quae audierat vel viderat, de iis testimonium profert. Sicut imperium civile, ita ecclesia cives ad denuncianda quaedam delictorum genera obstringere potest. Locus, tempus et circumstantiae non mutant rem. Confessarius monet tantum de obligatione denunciandi sollicitantes, si vero periculum propriae vitae aut alterius gravissimi damni timet, omnes theologi [5]) consentiunt, denunciationem omittendam esse, quod praecepta humana non obligant cum gravi nocumento. Unusquisque omne delictum commissum et unumquemque socium publice et coram omnibus hominibus manifestandi facultatem habet: cur ei confessarium talem officiali ad inquirendum factum denunciare non liceat, non intelligo, sive fiat denunciatio vel motu proprio ac matura delibera-

4) Advertendum Bullam Gregorii XV. in Gallia non recipi, quia ibi promulgata non fuit, unde non obligat in conscientia, cum nulla lex humana obligat nisi sufficienter promulgata. Ita Pontus Diction. cas. conscient.

In nostris partibus in tanto rigore non est recepta, ut notant doctores germanici omnes. Schenkl theol. past. p. 358. Sententiam, qua omnes obstringantur, defendit Amort l. c. disput. 10. p. 437.

5) Voit l. c. p. 635 et §. 12. citati theolog. nonnulli.

tione, sive monente sacerdote[6]). Sigillum nec directe nec indirecte frangitur. — Quae vero sunt commoda, quae ex denunciatione proveniunt? negata a confessario sollicitatione, quibus modis illa probari potest? num denuncianti omnis fides tribuatur? Nulla est via nec ratio, quâ securitas comparari possit confitentibus contra depravatos confessarios, itemque confessariis contra malos poenitentes. Ac Superiores ea quoque agnoscere videntur. Mihi notus est casus, in quo monachus in actu confessionis talia agebat, quae pudicitiam violarent: facta denunciatione rescripsit Superior, rem non ejus momenti videri, ut inquisitioni locus detur. Et confessarius pravam agendi rationem sicut antea continuavit!!

§. 17.

Continuatio.

Ex alia ratione Müller[1]) sigillum confessionis impugnat. Quam a Droste-Hülshoff[2]) refutatam omnino equidem silentio transire possum, sed paucis tantum mentionem facere juvat. Mülleri sententia haec est: reipublicae salus omnem civem obligat ad manifestandam veritatem, quotiescunque a magistratu advocatus fuerit. Quam sententiam falsam esse unus-

6) Breiger l. c. p. 27.

1) Kirchenrechtl. Erörterungen p. 53—76.

2) Rechtsphilos. Abhandlg. p. 22—45.

quisque intelligit, cum pro veris habeantur, quae adhucdum probanda sunt, omnia nimirum, quaecunque requirere magistratui placet, reipublicae causa necessaria ideoque officiis subditorum adnumeranda esse. His verbis potius sententia erit definienda[3]): magistratus omnem civem ad detegendum verum provocandi potestatem habet, quoties salus reipublicae civi obligationem manifestationis imponit. Quaestio vero illa: an imperii salus unquam postulare possit, ut confessionis secreta aperiantur, nullibi tractatur, nedum probatur, quare Droste-Hülshoff ommissa supplet. Sed desiderantur in his rationes ex jure positivo, praecipue ecclesiastico haustae, cum depromantur illae ex jure naturali. Praesertim laud. auctori magni momenti esse videntur rationes supra §. 5. Nro. II. et §. 6. Nro. IV. jam allatae. Sed plane de his taceo, quia jam supra disceptatae judicio submissae sunt. Mülleri sententia cum falsa sit, nihil probari potest jureque igitur eam praetermittamus.

§. 18.

Corollaria.

Exposita juris communis doctrina de confessionis sigillo, jam quae inde descendant corollaria, videamus. Ac primum quidem

a) confessario nullo modo, nullis conditionibus, neque directe neque indirecte, nec no-

3) Droste-Hülshoff p. 29.

minatim nec indeterminate ea, quae in confessione secreta ipsi sunt credita, revelare licet. Silentii vinculum quae constituit lex, quacum praxis sententiaeque Theologorum consentiunt, generaliter concepta, in universum ita valet, ut nullum excipiat casum.

b) confessario crimen in confessione auriculari manifestatum, magistratui denunciare non licet.

c) confessarius testis esse nequit eorum delictorum, quorum scientiam ex confessione acquisivit, quia testis natura ac vi caret. Testimonium enim quis eorum tantum perhibere potest, quae ipse suis sensibus animadvertit. Quare confessionem delicti, minime vero delictum ipsum testificari valet. Ejus testimonium indicii vim habet, nec plenae probationis: negante confessionem confitente, quibus mediis ac rationibus confessarius dictorum veritatem probare velit? et consentiente adest confessio extrajudicialis, quae ad damnandum non sufficit.

d) confessarius a magistratu compelli non potest, ad testimonium dicendum contra eum, qui delicti commissi fuerit suspectus et probabiliter in confessione manifestaverit. Agnito enim silendi vinculo a summo imperio probatoque, maxime injustum foret, confessarium ad violandum officium ipsi impositum cogere [1]).

e) confessarius a confitente provocari vel

1) cap. 13. X. de Excess. prael. 5. 31.

cogi nequit ad testimonium edendum de iis, quae confessus est.

f) temere a confessario dictum testimonium omni probationis vi caret atque nullum est: ea enim, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur [a]).

g) juramentum purgatorium ab eo, contra quem deposuit confessarius, abjurandum non est, quia revelantis verba nullius momenti sunt et a judice ordinario nulla eorum ratio habetur.

h) confessarius a magistratu ad testimonium dicendum provocatus negare potest illud, ne legibus inobediens appareat, cum magistratus nulla potestate praeditus est, qua subditi ad facta illicita, quae susceptis officiis refragentur, cogi valeant.

i) post mortem quoque poenitentis quidquam vel propinquis vel extraneis revelare non licet, quia parcendum est et honori superstitis familiae et de mortuis nihil nisi bene sit dicendum, ac denique ea, quae revelatio in honorem confitentis fit, alios deterret, ne liberam integramque edant confessionem.

§. 19.

Sententia Jurisconsultorum.

Doctrinae hucusque expositae favet sententia celeberrimorum Jurisconsultorum, ex quibus aliquot hic excitasse juvat.

---

a) l. 5. Cod. de leg. l. 14. l. 15. D. de condit. 28. 7.

Jam primum Hommel [1]) claris ac definitis verbis sigillum confessionis agnoscit dicens: „sub fide silentii amico concredita tegenda esse et „abscondenda, ne unquam propalentur, non juris pon„tificii dictatum puto, sed tale, quod a natura ipsa „qui plane sceleratus et improbus non est, facile in„telligit. Multo ergo magis sacerdotes Harpocrati li„tare decet, quibus etiam religionis causa arcana „non raro commendantur. Hi si audiunt et tacent, „non beneficium praestant, sed fidem, debitum, of„ficium.

„Pone autem sacerdotem adeo truncem, pone „hujus divini et humani juris adeo immemorem, adeo „sceleratum et improbum esse, ut testimonium de iis „rebus, quae a confitente concreditae fuerunt, vel „coacte, vel, quod magis abominabile, ultro deponat, „id pro non scripto habetur, nec ullum indicium ad „purgatorium, multo minus ad torturam praebet. Quo„modo enim testi credi potest, qui eo ipso, quod „contra officium, quod contra humanitatem agit, se „hominem nauci, turpem, sceleratum, abjectum et „detestabilem prodit? Est itaque clericus in causa „capitali ipsi a confitente concredita, testis tanquam „infamis, plane inhabilis. . . . Etsi autem depositio „locum tantummodo habeat, si propalaverit per con„fessionem non autem in Museo ipsi concredita, ta„men Clericum hoc quoque turpiter facere existimo. „Sed insipidi et crudeles Deum putant sanguine, ferro, „flagellis, tortura, rota delectari et suavem ducere „ex combusto cadavere odorem. Condonanda erat „talis philosophia carnifici, non condonanda sacerdoti, „potissimum christiano. Carnifici, inquam, facilius „condonaverim, si tyrannum sibi Deum fingat. Anne „vero idem clericos decet? ecce, qui, quantum fieri „potest, sanguini parcere debebant, illi sanguinem „sitiunt, atque huic fracto confessionis sigillo subinde „etiam gloriam Dei (sic enim solent) et publicam sa-

---

1) Rhapsod. quaest. observat. 610.

„lutem et liberationem deperditae animae ex faucibus „orci praetendunt. Nec est enim adeo horrendum „ullum flagitium, quod colore pulcro illinitum non „splendeat, si modo aurea verba et verticordia in „numerato habeas.“

Quibus expositis, altera quaestio: an sacerdos delinquenti, qui in judicio saeculari crimen praefracte neget, sed ipsi confiteatur, absolutionem denegare possit vel debeat, usque dum delinquens, ut poena de eo sumi possit, id etiam in foro criminali fateatur, conjungitur et negatur.

Deinde Boehmer [2]) scribit: „adeo vero in hoc „silentium illis incumbit, ut nec in continuandis cri- „minibus ad revelationem obligentur, si scandalum „inde publicum metuendum sit, sed dissimulatio ma- „gis confessario commendata in cap. 6. X. de con- „sang. et affinit.“

Gail [3]) ait: „si sacerdos in testem producatur, „an compelli possit, ut secreta confessionis revelet? „Minime, ne a Pontifice quidem. Ratio est, quia „illa non ut homo sed Dei Vicarius scire intelligitur. „Proinde interrogatus sine mendacio recte respondet „de sua ignorantia: nam ut homo et testis ignorat „factum, super quo interrogatur.“

Sed uberrime explicat has quaestiones Damhouder [4]) respondendo: „a) an confessor revelare „debeat confessionem malefici? Ommissis longiori- „bus disputationibus dico: talem sacerdotem nullo

---

2) Dissertatio de obligatione ad revelandum oculta in Exercitat. ad Pandectas tom. 6. 283. cap. 3. §. 1.

3) Observat. 100. Nro. 8.

4) Praxis rerum criminalium cap. 50. Nro. 7 — 11.

„modo posse aut debere revelare ea, quae ipsi in „secreta confessione commissa sunt, nec ante mortem „nec post mortem malefici, nec ullos complices „prodere.

„b) quid faciendum confessori, si cogatur ad re„velationem confessionis? Et si fortassis per impro„bitatem judicis ad prodendam confessionem cogere„tur, nullum non supplicii genus potius subiret, quam „secretum confessionis (quod est de substantia sacra„mentali confessionis!!) ulli mortalium aut verbo aut „indicio proderet. Et si ad juramentum veritatis „adigatur, tuto jurare poterit, se nihil eorum scire, „quae judex interrogat, et de quibus fieri cupit cer„tior. Atque ita jurando non peccat. Quod enim „scit, nescit. Nam quod scit ut Dei Vicarius, nescit „ut homo. Atque hujusmodi levi inficiatione pru„dens et minime sanguinarius judex cententus esse „deberet. Et sacerdos hujusmodi confessione audita „ante incacerationem non deberet esse tam scru„pulosus, ut suum confitentem nomine aut indicio „proderet aut malificum accusaret.

„c) an ob accusationem confessarii maleficus capi „possit?„ Facta narratione cujusdam casus sententiam profert: „accusatum capi non posse, nedum „torqueri aut executioni mandari, quia secretum sit „de substantia confessionis et talis parochi impru„dentem et temerariam proditionem et quaecunque „inde consecuta, censenda esse nulla, cum sacerdos „nihil revelare debuisset, ut in cap. Omnis §. Ca„veat de poenit. et remiss. et in cap. Si sacerdos de „off. jud. ord. et in can. Sacerdos de poenit. D. 6.„

Püttmanni [5]) vero haec est doctrina: „mini„ster ecclesiae crimen sub sigillo, ut vulgo loquun„tur, confessionis ipsi manifestatum deferens, non „modo fidem plane nullam meretur, sed a Consisto„rio etiam severe ideo in eum animadvertitur,„

---

5) Elementa juris §. 765. not. 6.

et alio loco [6]) subjungit: „excusantur autem a te-„stimonii dictione non modo ii, qui necessitate reci-„tandi secreta adstringuntur, v. g. conscientiae mo-„deratores, sed etiam ii„ etc.

Quocum consentit DORN [7]): „Zeugen, welche „nur unter gewissen Umständen unzulässig sind, sind „d) diejenige, welche das Siegel der Verschwiegen-„heit brechen würden. Dahin gehören vordersamst „Geistliche und Beichtväter in Ansehung dessen, so „ihnen in der Beicht oder bei Bekenntniſs der Sün-„den geoffenbart worden.»

MITTERMAIER [8]) dicit: „Andere Personen sind „von der Zeugenpflicht frei, weil ihr Zeugniſs eine „vom positiven Gesetze geschüzte übernommene „Pflicht zum Geheimniſs verletzen würde. Dahin „gehören . . . 3) Beichtväter und zwar nach katho-„lischen Grundsätzen ohne alle Unterscheidung zwi-„schen den Arten der Verbrechen und zwischen be-„gangenen und künftigen Vergehen: nach protestan-„tischen Ansichten muſs ebenso das unter dem Sie-„gel der Amtsverschwiegenheit (natürliches Beichts „siegel) Anvertraute respectirt werden. Sollen in „einem dieser Fälle Ausnahmen eintretten, so muſs „ein Landesgesetz sie rechtfertigen.„

Ejusdem sententiae J. SAMUEL F. BOEHMER [9]) quidem est, sed cum BERGERO [10]) inquisitionem

---

6) §. 862.

7) Praktischer Commentar über das peinliche Recht. Leipzig 1791. 2 Th. p. 310.

8) Das deutsche Strafverfahren. Heidelberg 1827. 1. Abtheil. S. 247. 248.

9) Meditat. in Constitut. criminal. Carolinam art. 6. §. 5. p. 35.

10) Elementa j. c. p. 183.

ad delationem sacerdotis factam, praevia poena sigilli violatori imposita, admittit, cum, causis delationis probabilibus oblatis, judex justam inquirendi habeat causam, illis vero cessantibus, inquisitio sponte cesset [11]).

STÜBEL [12]) scribit: „Man nimmt an, daſs die „Störung des Zutrauens in den Verhältnissen der „Prediger zu den Beichtenden nachtheiligere Fol„gen für den Staat haben würde, als der Mangel „des Beweises in einer Criminalsache und die Frei„sprechung eines schuldigen Inculpaten und sieht „Prediger in Ansehung derjenigen Thatsachen, welche „ihnen in der Beicht mitgetheilt worden sind, für „entschuldigt an.“ Notae b. verba subjuncta legimus: „Man schränkt diese Ausnahme mit Recht „auf bereits verübte Verbrechen ein.“

LEYSER [13]) confessionis quoque sigillum probat, dissentiens tamen in eo, quod sacerdotis testimonium et ad inquirendum et ad jusjurandum purgatorium decernendum sufficere existimat.

QUISTORP [14]), MEISTER [15]), HENCKE [16]), MAR-

11) Conf. quoque BOEHMER observat. ad CARPZOVIUM p. 3. 9. 108. observat. 7.

12) Criminalverfahren in den deutschen Gerichten mit besonderer Rücksicht auf das Königreich Sachsen. tom. 4. §. 2437.

13) Meditat. ad Pandectas. Specimen 284.

14) Grundsätze des deutschen peinlichen Rechts §. 692. 702. 781.

15) Principia jur. crim. Gött. 1802 p. 408. not. b. p. 410. not. c.

16) Darstellung des gerichtlichen Verfahrens in Strafsachen §. 139. nota 2.

TIN [17]), TITTMANN [18]) eandem quidem tenent sententiam, sed in eo dissentiunt, quod exceptiones quasdam statuunt, in quibus sigilli fractio partim permittatur, partim sacerdotis sit officium, de quibus §. §. 20 — 23 sermo erit.

Jurisprudentia gallicana semper sigillum confessionis agnovit, nec nisi crimen laesae majestatis [19]) confessarius manifestare potest ac debet, uti contendunt GODOFREDUS A BABO [20]), MARCEL DE SERRES [21]), LEGRAVEREND [22]) CARNOT [23]) atque MERLIN [24]). Sed BENTHAM [25]) nihil scribit de crimine laesae Majestatis.

Splendidissimam victoriam doctrina hucusque explicata retulit in eo, quod factum esse narrant nonnulli scriptores [26]) et MARTIN [27]) doc-

---

17) Lehrbuch des deutschen gemeinen Criminalprocesses edit. 2da §. 96. not. 6.
18) Handbuch der Strafrechtswissenschaft edit. 2da §. 761.
19) Conf. §. 25.
20) Theorica criminalis ad praxim forensem accommodata. Ultrajecti 1646. p. 58 — 62.
21) Manuel des cours d'assises tom. 1. p. 293.
22) Traité de la legislation tom. 1. p. 232.
23) Instruction criminelle tom. 1. p. 227.
24) Repertoir tom. 13. p. 174. 178.
25) Traité des preuves judiciaires tom. 2. p. 119.
26) *Zeitung für die elegante Welt* vom 31. Decemb. 1810. Nro. 261. *Der Freimüthige* vom 1. Januar 1811. Nro. 1. Praecipue conf. *Versuch* p. 68 — 95.
27) Rechtsgutachten und Entscheidungen des Spruch-Collegiums der Universität Heidelberg. Nro. 1. Conf. *Allgemeiner Anzeiger der Teutschen* 1809 Nro. 105 und 1811 Nro. 270. *Versuch* p. 189 — 202.

trinam de vi ac potestate sacramentalis confessionis in foro externo tradit.

§. 20.

Singulae exceptiones statutae considerantur.

Quoniam Jurisconsulti, doctrinae Catholicorum imbuti, sigillum confessionis negare omnino nequeunt, exceptiones statuunt, in quibus sacerdotibus permissum sit, sitendi vinculum frangere. Quarum

Prima est: si confitens delicta perpetranda confessus sit. Tunc non solum confessario licere sigillum non servare, sed ejus officium revelationem requirere, quin etiam subinde futuri delinquentis nomen aperiendum esse, multi contendunt [1]. Tilesius [2] hanc exceptionem non statuit dicens: committendum delictum non esse confessionis objectum ideoque revalantem minime sigilli fractorem posse nominari. Cui sententiae quoque favet Droste-Hülshoff [3], illud addens: confessarii atque istius, qui crimen sibi propositum habens ad ipsum accedat, nullam aliam esse rationem, quam alius cujus-

1) Boehmer jus eccles. Protest. lib. 5. tit. 38. §. 50. Ejusdem diss. p. 286. Pertsch p. 601. Beiei p. 101. Leyser cit. Nro. 1. Quistorp §. 692 Breiger p. 63. Archiv tom. 1. p. 560. Stübe aliique.

2) l. c. p. 11.

3) l. c. p. 25. 26.

piam, quem, nullo habito confessionis respectu, hoc crimine certiorem facit[4]). Qui cum ZIEGLERO[5]) et PERTSCHIO opinantur, delictorum committendorum absolutionem impertiri posse confessarium, antea cathechismum Catholicorum vel theologiam moralem perlustrent: tunc enim non amplius doctrinam praedicabunt, quae Catholicis omnino ignota est, et quam Pontificii aeque ac Protestantes detestantur. BEIERUS futurum crimen perpetrandum revelandum iis esse censet, qui possunt prodessc, PERTSCHIUS iis, quibus minatur malum. Sed quomodocunque revelatio indeterminate ac summa cum cautione fiat, fractio sigilli illa erit minimeque defendenda, quum certissime affirmari queat, eos, qui possunt prodesse, vel quibus minatur malum, diu noctuque observaturos esse ad delinquentes in ipso actu deprehendendos. Haec vero clandestina via ac ratio, qua interitus paratur, num legibus ethicis probatur? Quare cum MITTERMAIERO[6]) dici posse arbitror, judicem, cum lex non distinguat inter delicta per-

4) Quae vis juris naturalis, pacti taciti intervenientis!!

5) In notis ad Lancell. Wittenbergae 1669. p. 356. laud. auctor scribit: sed enim quia Pontificii etiam a futuris peccatis adhuc perpetrandis et animo jam destinatis absolvere solent, non in eum finem aut sub ea qualitate, ut a caepto crimine desistat poenitens et in novitate vitae ambulet, sed ut nihilominus committere istud pergat et efficiat, quod ita destinatum est, et animam tamen indemnem servet etc. etc. *Anno 1827 ejusdem sententiae est* BREIGER l. c. p. 69.

6) Archiv tom. 8. p. 343.

petrata et committenda, discrimen facere nequire 79), nec desunt rationes, quibus haec doctrina probetur. Nam

a) discrimen inter perpetrata et perpetranda delicta, si ipsa ethica praecepta spectes, non existit, cum de iis, quae ex delicto emanent, unice sermo esse potest. Crimen est commissum peccatumque, simul atque homo committendi firmum et constans consilium ceperit. Ethica respicit interna, ita, ut ex his principiis neque vero ex factis externis aestimanda sit probitas vel pravitas. Quando igitur contendunt, delictum committendum non esse confessionis objectum, id verum est, quum delictum ipsum intelligis nondum perpetratum: sed falsum, quatenus propositum crimen antecedens censetur, cum repugnat praeceptis christianis, quae omnem malam cogitationem damnant ideoque ex Catholicorum certa doctrina requirunt confessionem. Non delictum, sed propositum committendi confitetur poenitens ejusque detectio est fractio sigilli. Aliter res se haberet, si detectio criminis perpetrandi eo modo fieri posset, ut propositum committendi non manifestaretur: quod ipsum cogitari nequit, cum prius delictum cogitatum esse debeat quam perfectum. Cum

b) omnino aliud quid, quam jurisdictio criminalis, propositum sibi habeat poenitentia,

79) De jure communi sermonem esse, sponte patet: quod secus est, si recentioris aetatis legislationes aliquid statuunt.

scilicet remissionem divinam mali propositi; reconciliationem peccatoris cum sua conscientia atque cum ipso Deo, reductionem ad Dominum, nullo rei temporalis respectu habito, sequitur inde, eorum, quae in secreta confessione aperiantur, revelationem esse, abusum maxime abominabilem. Dum judex saecularis facta externa judicat, de internis confessarius sententiam profert, minime curans, an etiam factis externis illa sint consummata; animum respicit. Confitens, quem ex animo peccatorum poenitet, non satisfacit, si confessus modo est, sed contritionem habeat oportet, qua ab omni peccato et delicto ejusque effectu abhorreat atque desistat, qua animi praeparatione deficiente confessarii est, ut confitenti exponat peccati magnitudinem detestabilitatemque, poenam futuram ac Dei misericordiam, quae non vult peccatoris mortem sed, ut convertatur et vivat. His dictis animum emendare studeat, qui si nulla ratione commoveri potest, ut desistat a delictis, evidentissimum hoc erit signum, illum carere necessaria praeparatione absolutioneque esse indignum. Confessio est remedium sui ipsius cognitionis et emendationis, via placationis et admonitionis in rebus fidei et morum: non curat vitam terrestrem promovendam sed coelestem. Confessario res est cum peccato, peccatore Deoque misericorde, minime vero cum alia persona vel imperio civili vel lege poenali. Deus placatur confessione et contritione, respublica legum poenalium executione. Illo officio fungitur sacerdos, hoc magistratus. Delinquens reconciliatus esse potest cum Do-

mino et caret reconciliatione cum republica et vice versa, quum peccator convictus in judicio saeculari, nisi enm poenituerit et nisi confessus sit, nullam absolutionem et condonationem accipere non nequeat. An forte legis executione poenalis placatio Dei fieri potest? — Quum utriusque judicis diversum sit munus officiumque, quum finis utriusque instituti haud unus idemque sit, non video, cur deficiente lege positiva confessio ministra quasi judicii criminalis sit habenda. Ac negari quidem nequit, revelatione magnum forte imminens damnum averti posse: sed incommodi aversio non est confessionis finis, nam ea respublica, in qua magistratus summa prudentia atque industria officiis suis funguntur, judicium criminale ad detegenda crimina v. g. conjurationis, patriae proditionis etc. confessionis manifestatione non opus habet. Bene ordinata politia utilior imperio erit, quam detectio omnium eorum quae confessione concredita sunt. Respublica anxie separat judicium civile et criminale v. g. adulterium, quod in judicio civili adulter confitebatur, non poena criminali afficitur, praeterquam quod, non habita confessionis ratione, nova actio instituatur, processus criminalis instruatur et plena probatio fiat; cur confessio secreta adhibeatur, ut detegantur crimina, quorum effectus nondum existunt et quos nondum certum est secuturos esse, quum adulter jam confessus delicti commissi causa non punitur? Ex confessione in judicio civili facta notitiam et cognitionem haurire non liceat judici, at ex confessione secreta? — ! Deinde

c) quis est, qui summa certitudine atque infallibilitate affirmare possit, propositum non mutatum iri? cum in comperto sit, vel minimas circumstantias, minima impedimenta, quae provideri nequiverunt, delictum perpetrandum differre et ad ommissionem cogere. Quis confessarius in se recipiat, patrifamilias, qui infausta hora vel suadentibus aliis vel proprio motu infelicem cogitationem paulo ante detestatam eo consilio conceperit, ut se suosque, fame et omnis generis miseria laborantes, servet, maximum malum parare liberosque alimentatore privare? Nonne fieret, si detegeretur propositum, partem rei publicae, quae fame perire sinit, hostibus tradendi, cum multum intersit inter propositam et inter perpetratam traditionem? — His rationibus addendum est,

d) confessariis viam aperiri, qua quibuscunque animi motibus satisfaciant et innocentem inquisitioni, sanitati famaeque noxiae tradant. Si omnes [8]) sacerdotes essent, qui et quales existere deberent, aliquid commodi proveniret, sed quamdiu multi rudes, inculti et omnis pietatis ac doctrinae expertes reperiuntur, nihil sperandum. Praeterea observetur, doctrinam de sanctitate sigilli ubique praedicari confessariosque sola Jureconsultorum sententia non commoveri posse ad illud violan-

8) In probandis confessoribus hanc rationem habeant episcopi, ut pii, bene morati, docti, prudentes, de animarum salute solliciti et fideles custodes sint eorum, quae in confessione dicuntur. *Concil. Mediol.* apud *Harduinum* tom. 10. p. tit. 6. p. 658.

vium, nisi a Superioribus ecclesiasticis ac theologiae doctoribus res aliter tractaretur. Quocunque oculos vertimus, multa obstant, quae vix superari posse videntur, ita, ut persuasum habeam, hac via, hac exceptione arbitraria nihil boni posse acquiri.

Sed hoc loco silentio praeterire nequeo sententiam Breigeri[9]), qua confessarius denunciare et actionem instituere debeat contra socios ejus, qui ante obitum furtum sociosque confessus est, quando amotas res restituere recusabant[10]). Cujus sententiae haec est ratio, quia delictum non solum est commissum, sed recusata restitutione committendum, et quia non proditur ille, qui confessus est, sed ii, qui nihil concrediderant. — Quod ipsum nisi sigilli fractionem dixeris, ignoro utique. Unde enim scientiam haurit confessarius, quam ex confessione? Et si furtum negant socii, quibus modis id probare potest? Nonne ad nominandum mortuum et ad manifestandam ejus confessionem cogitur? Quid inde, si mortuus ira vel inimicitia inflammatus, eorum nomina prodiderit? Verbi divini ministri est, docere, monere, rogare, minime vero actiones instituere contra eos, qui dictis obedire abnuunt. Atque laud. auctorem admonendum esse puto, a praxi doctrinae propositae recedere, cum mihi persuasum est, illum, si invenerit prudentem jurisconsultum, causam perditurum esse et actione injuriarum in eum actum iri.

9) l. c. p. 65.
10) Conf. §. 2. c.

§. 21.

Continuatio.

II. Si confitens sacerdoti eorum, quae confessus est, aperiundorum facultatem dederit, tunc ipsi scienti ac volenti nulla fit injuria: modo probetur facultas illa atque consensus libere, expresse et in justa causa dictus [1]).

Haec exceptio fundatur in eo, quod silendi vinculum adesse putatur tantum in confitentis favorem et ex pacto interveniente vel expresso originem trahere, id quod prorsus negandum est [2]). Sigillum in honorem confessionis quoque constitutum est et confessarius obligatur vi legis, a Superioribus datae, a qua observanda vel negligenda ab alio quopiam jure nec liberari nec dispensari potest; est enim res juris [3]) publici. Sicut sigillum confessionis, ita est lex ecclesiastica, quae matrimonium inter fratrem ac sororem iniri posse negat et quanquam exclusivi concubitus licentiam sibi tribuunt, et scientibus et volentibus nulla fit injuria, nemo tamen erit, qui contractum matrimonium validum existimet: vel benedictio sacerdotalis tan-

---

1) Beier p. 81. Pertch p. 608. Tilesius p. 18. Boehmer diss. p. 287. s Wiestner Nro. 95. Marcel de Serres, praecipue *Versuch* p. 124 atque fere omnes theologiae moralis doctores.

2) Conf. §. 6. Nro. IV.

3) l. 38. D. de pactis 2. 14. l. 5. §. 7. D. de administ. et pericul. 26. 7.

tum in contrahentium favorem praescripta est; quisque tamen illis negabit facultatem in iis dispensandi *). Ac siquis forsan objiciat, matrimonium inter consanguineos, quominus contrahatur, legibus civilibus esse prohibitum iisdemque benedictionem sacerdotalem juberi: — nonne fuerunt tempora, in quibus res publica omnia matrimonialia relinquebat ecclesiae? nonne receptione vel tacita vel expressa et regio placito sigillum legis vim obtinuit? —

Verba autem: „volenti non fit injuria", siquis in universum valere vult, nimium indeque nihil probant v. g. incensio domus propriae, vel petita occisio hominis, gravi vulnere laborantis indeque magnos dolores perpetientis.

Si vero BEIERUS[5]) scribit: „stare penes quemcunque, quo velit modo alteri quid concredere, „quando ergo licentiam dat manifestandi, non „tam in ipsum sigillum aut sacramentum sibi „quidquam arrogat, quam tale quid non adfuisse significat", respondendum est: silendi obligationem, ex jure naturali ortam, ab eo, in cujus favorem constituta est, tolli posse, minime negari nequit: hoc vero sigillum non tam firmum inviolabileque redditur, quin in quibusdam casibus etiam sine confitentis licentia frangendum sit. Deinde hac ratione sigilli existen-

4) Siquid fuerit subsecutum ex eo vel ob id, quod intercedente lege factum est, illud quoque cassum atque inutile esse praecipimus. l. 5. Cod. de leg. 1. 14. cap. 64. de regulis juris in 6to.

5) l. c. p. 82. §. 8.

tia dependere, a confitentis voluntate, ut ille modo constituere modo abrogare posset: quae potestas num confitenti tribui poterit? Ejus voluntate confessarius nec potest obligari nec liberari ab observanda lege. Sigillum non adfuisse si dixeris, id nihil aliud est, nisi arrogatio, quae certo minime est concedenda.

Auctor anonymus[6]) multa copiose disserit de licentia ejusque effectibus respectu habito confitentis et aliorum, qui criminis rei putantur, sed sibi ipse obloquitur. Contendit enim[7]) sigillum confessionis esse juris divini positivi: quod si est, jam quaero, an homini, an ecclesiae[8]) competat potestas, de divino jure dispensandi vel illud restringendi? Licentia a confitente data num quidquam aliud est, quam annullatio juris divini? cur justa causa adesse debet, qua deficiente confessarius licentia concessa non utatur? — Confitens, secretorum Dominus, sacerdoti facultatem tribuere potest, ubique locorum concredita, sive adsit justa causa sive desit, manifestandi, nisi lex ecclesiastica eum impediat.

Quod attinet ad modum, quo licentia concedi non nequeat, vivente confitente, admodum facilis erit probatio, consensum fuisse liberum

6) *Versuch*, p. 124. et reliq.

7) p. 42. 53.

8) Uti idem negans sentit p. 103. et Gonzallez-Tellez in Comment. cap. 2. de off. jud. ord. p. 568. Nro. 5.

atque expressum: at quis dijudicabit, causam justam, seu, ut alii volunt, magni momenti adesse, cum alius justam maximamque existimet, quam alius injustam ac minimam vocat? et mortuo confitente, quibus mediis probare potest liber consensus? an praesumptioni locus detur? — Intelligimus, conditionibus adjectis, sub quibus revelatio permittitur, data licentia confessarium uti non posse, quin ei periculum immineat, ne fractor sigilli nominetur, et a Superioribus ecclesiasticis puniatur. Et has ob causas, etsi confitens licentiam dandi potestate praeditus sit, confessario suadendum, ne licentiam accipiat neve ea utatur. Si maxime interest confitentis, peccatum seu delictum commissum vel imminens manifestari, ipse faciat, vel probo viro committat secretum, qui sigillo confessionis non obligatur. Licentia enim eo modo concedi potest, ut ejus, qui perpetraverit, nomen detegatur cum omnibus circumstantiis antecedentibus, concomitantibus subsequentibusque vel solummodo, quae secuta sint, manifestentur. Prius vel ab ipso vel amico fieri potest, in altero casu anonymus[9]), nisi periculum confitenti paretur, absque licentia confessario usum eorum scientiae, quae ex confessione acceperit, permittit: fluctuat itaque ille, si revelationem spectes, quum sine consensu confitentis absque periculo nominis detegendi illam licitam habet, deinde expressum consensum et justam causam in eodem casu poscit.

---

9) *Versuch* p. 61. 124.

§. 22.

Continuatio.

III. Si innocens revelatione confessionis salvetur, liceat sacerdoti sigillum frangere[1]). Haec exceptio amplectitur duos casus:

a) innocens ipse vel in carcere seclusus, vel jam damnatus innocentiam confitetur. Tilesius non dubitat, quin liceat revelare, quia innocentia non sit sigilli objectum, nec ulla ratione conscientiam mordeat, sed insigne potius solamen ei afferat. Sed Beierus testimonium confessarii nullius esse momenti recte contendit. Equidem cum persuasum habeam, nostris diebus nullum innocentem solius suspicionis causa etiam multiplicatis indiciis morte puniri et deficiente plena probatione ex carcere liberari, totam quaestionem praetermittendam esse arbitror: modo interrogare liceat, nonne omnes, in ergastulo inclusi, evidentissima delicti probatione, innocentes se fatentur? Ergastulum visitans et nonnullos delinquentes quaerens de causa commorationis, semper responsum tuli, se a judice ipsis inimico damnatos esse, licet innocentes fuerint.

b) siquis confitetur, se esse criminis reum, cujus alter accusatur. Haec confessio nullius momenti esse nequit, quum unusquisque accu-

---

1) Pertsch p. 616. Tilesius p. 13. 17. Beier p. 120. Boehmer diss. p. 288. Quistorp §. 692. *Archiv* tom. 1. p. 560.

satus alium vel familiae, ut turpitudo ex accusatione nata avertatur, vel socium inveniat, qui in confessione fateatur, se esse reum, eo consilio, ut confessarius, confitentis nomen celans, revelet accusati innocentiam et liberet. Quo modo confessionis manifestatio id efficeret, ut justitia deturbari ac profanari et omne delictum, nisi probatio evidentissima facta sit, impunitum manere possit. Praeterea dubito, sacerdotis sola verba, inquisitum esse innocentem, cum alius sit reus, fidem habere posse apud judecem, qui omnia indicia pro damnatione et innocentia colligere debeat, nisi aliunde probari queat, illum non esse damnandum [2].

§. 23.

Continuatio.

IV. Denique exceptio statuitur, si secretorum revelatio reipublicae vel ecclesiae magnam utilitatem praebeat, praesertim, ubi, ni manifestetur ac in tempore occurratur, ingens malum damnumque existat [1]. Atque VOIT [2])

---

2) MITTERMAIER im Archiv tom. 8. p. 347. not. 11. MARTIN Rechtsgutachten etc. p. 19. 138.

1) TILESIUS p. 17. *Archiv* p. 560. LEYSER cit. medit. Nro. 1. HENCKE S. 139. TITTMANN §. 791. MARCEL DE SERRES p. 293. CARNOT p. 227. LEGRAVEREND p. 1. p. 232. MERTIN p. 174. nota.

2) l. c. p. 513. Confer quoque EUSEBII AMORT tract. de sigillo confess. quaest. 9. 10.

obligat poenitentem, ut per se vel per alium imminens periculum avertat, modo illud adhuc possit: aut confessario facultatem, illud manifestandi, concedat: at quid inde faciendum, si nullo modo, nullis rationibus nec ad hoc nec ad illud iste commoveri poterit?

Damni magnitudo vel exiguitas norma esse nequit, qua judicetur, utrum sigillum frangendum sit nec ne, cum dictio sit indefinita et alii ingens damnum videatur, quod alius minimum vocaverit. Damnum futurum si respicias, respondendum est, confessionis finem [3]) non esse incommodi aversionem sed reconciliationem cum Domino et quamdiu non alia lex atque cap. 12. X. de poenit. confessarium obligat, secreta manifestari minime posse et manifestata omni probationis vi carere.

Jam quae hucusque disputavimus, certo probabunt, exceptiones non esse statuendas et quotquot statutae sunt, eas ex arbitrio factas esse indeque numerum eodem jure posse augeri. Lex ecclesiastica ad omnes casus pertinet, ita ut nec jurisconsulti nec theologi sit, illam restringere. Unam tamen quaestionem hoc loco silentio praeterire nequeo, quibus nimirum remediis delicta perpetranda detegantur aut innocentes salventur aut ingens malum futurum avertatur in illis rebus publicis, in quibus nulli romano-catholicae religioni addicti habitant, dum alii Christiani hoc instituto carent? — Equidem exploratum habeo, bene ordina-

---

3) Conf. §. 20.

tum collegium de disciplina publica (Polizei) majorem securitatem praebere et plura committenda crimina atque perpetratorum effectus impedire, quam omnes confessarios conjunctim. Et ipsa experientia docemur, in illis regnis, male administrata politia, seditiones, conjurationes, crimina laesae majestatis, furta, homicidia etc. eo saepius committi, quo majorem numerum quotannis edant confessionum incolae. Exempla offerunt Gallia, Italia, Hispania, Lusitania aliaque regna, quae a Catholicis coluntur. Sacerdotes non sunt politiae administratores sed ministri sacrorum, hinc omnia, quae non pertinent ad illa, omnino removenda sunt ab ipsorum munere atque officio. Confessio non est institutum, ad animum civium investigandum explorandumque, sed ad emendandum, solandum et reconciliandum.

Dura sanequam et deterrens atque horrenda illa est doctrina, quae, si caedes innocentis, patrisfamilias, parentum, fratrum ac sororum, si incendium, si raptus, si furtum impediri possit, si pendeat salus principis aut reipublicae vel liberatio totius mundi ex unius revelatione peccati, ejus prohibet manifestationem!! Ita res est — quia principes volunt. Num vero aliter res institui possit, id aliud est quaerendum, cujus hucusque ratio non habita fuit, cum sigillum confessionis plane secundum jus commune consideraverim. Quare nunc disserendum erit, num ulla, et quae mutatio circa silendi vinculum statui queat.

§. 24.

Sententiae de confessionis sigilli mutatione recensentur.

Auctor anonymus [1]) multum dubitans opinatur, confessionis sigillum a potestate ecclesiastica circumscribendum esse eo modo, quo confessarius habeat revelandi facultatem confitentis, nisi sacramentum absolutione sacerdotali suscepisset, peccata et futura committenda et quae ad principis vel reipublicae salutem pertinent. Sed

a) vix sperandum est, fore ut Curia Romana hanc limitationem concedat et Episcopi in concilio congregati propter majorem numerum eorum, qui mercede ab illa conducti sunt, propositam mutationem recipiant. Quod attinet ad rem ipsam,

b) confessario tribuitur nimia potestas, cum minime ad liquidum perduci possit ideoque ab ipso dependeat, utrum se persuasum habere velit, nec ne, confitentem delicta perpetranda ommissurum et absolutione esse dignum.

c) revelatio hac ratione eo inserviat necesse est, ut animi motibus suis satisfaciat gratiamque principis sibi acquirat. Praebebit inde ea occasionem, qua quis inimico suo interitum paret, cum ejus confessionarium seducat

1) *Versuch* p. 107 — 119.

ac moveat, qui criminis ex confessione noti illum arguat.

d) non est probandum, confitentem sacerdoti manifestasse delicta, quorum effectus futuris temporibus durabunt: plane impuniti ideo manebunt, qui hujus limitationis non habuerint rationem.

e) haec mutatio efficiet, ut quisque ejus generis crimina non confiteatur. Denique sequitur,

f) omnem confessionem, in qua propter alia, quae requiruntur, absolutio denegatur, sigillo carere. Qua mutatione in praxin inducta, omne sigillum evanescet et manifestatio pro arbitrio confessarius uti poterit.

Andres [2]) putat, pro sigillo fundamentum certum acquiri posse, si peccatorum in se ipsum, in Deum et in alios homines recipiatur atque retineatur distinctio et ultimae speciei sigillum non servetur, quia haec delicta imperium civile legibus coercet, non minus placandum, quam Deus ipse. Sed observandum est:

a) tota distinctio caret fundamento, quia officiorum divisio, ex qua illa desumitur, falsa est, quia peccata vel delicta in semetipsum non minus tanquam peccata in alios apparent, cumque Deus nec offendatur nec laedatur.

2) l. c. tom. 2. p. 152 — 154.

b) peccata et delicta in semetipsum sunt prohibita. Qui enim conditionem corporis sibi parat, qua officiis civilibus satisfacere non valeat, poena afficitur, quanquam actione ipsa sufficientem poenam patitur: qui se ipsum occidit, delinquit in rempublicam, quam socio privat, et ex sententia multorum jurisconsultorum inhonestae sepulturae poena punitur. Nonne confessario propositum, aliquid ejusmodi generis perpetrandi, manifestare liceat? Sequitur,

c) omne peccatum vel crimen esse aperiendum, quia unumquodque aliorum jura laedit et legibus poenalibus vetitum est. Nullum casum, in quo sacerdos revelare non debeat, existere hac ex doctrina, nemo erit, qui non intelligat.

Optimum remedium suadet MÜLLER [3]), confessionis nimirum secretae, tanquam instituti, quod reipublicae fini atque perfectibilitati christianae doctrinae contrarium nec nostris moribus accommodatum sit, abrogationem. Quum confessio intime conjuncta sit cum systemate religionis romano-catholicae universo, hic dicere supersedeo et amando ad *Concilium Tridentinum* [4]).

§. 25.

Potestas civilis in Sigillum Confessionis.

Quanquam Theologi [1]) contendere audent, sigillum confessionis non minus esse divinae

---

3) l. c. p. 66.

4) Sess. 14. Conf. quoque DROSTE-HÜLSHOFF l. c. p. 34.

1) v. g. BAILLY, SCHENKL, KOEHLER, *Versuch* p. 42—44.

institutionis, quam confessionem ipsam[2]), hoc plane probare nequeunt. Disciplina ecclesiastica contrarium demonstrat, nullibique invenitur ecclesiae decisio, quae faveat huic sententiae. Dum concilia largitione multa provocant in traditionem, qua dogmata, ab ipsis definita, tanquam divina constituunt, sine dubio non omisissent, in re tam magni momenti traditionem qua jus divinum allegare et omnes anathemizare, qui contrariam doctrinam tueri ausi essent: ast nullum vestigium.

Vinculum silendi est lex disciplinaris. Sicut enim in unaquaque republica ordinationes existunt, quae vel majestatis jura inalienabilia atque immutabilia seu officia civilia respiciunt, vel tantum meliorem ordinem ac securitatem personarum atque dominii: ita quoque in ecclesia leges disciplinares reperiuntur, quae vel dogmata fidei et morum tangunt, vel tantum ad rectiorem ordinem, decus, uniformitatem ac dignitatem spectant. Summa cautio est adhibenda in prioris generis disciplina mutanda[3]),

---

2) *Concil. Trident.* Sess. 14. can. 6.

3) Exemplum praebeat concessio sumptionis Eucharistiae sub utraque specie tanquam necessaria. Dogma catholicum circa confessionem privatam secundum declarationem *Concilii Tridentini* Sess. 14. c. 6. 7. 8. amplectitur:

a) confessionem sacramentalem esse institutam et ad salutem necessariam jure divino;

b) modum secrete confitendi sacerdoti non esse alienum ab institutione et mandato Christi et non esse inventum humanum;

quia facile damnum inde procedit dogmati, quod cum ea cohaeret. Ad alteram classem adnumerandum esse sigillum probat:

a) historia sigilli. Notum enim[4]) est, peccata occulta, simulac confessarius detectionem judicaverat salutarem, publice manifestari debuisse et primum a *Concilio Lateranensi* praeceptum fuisse, ut nullo modo confitens sit prodendus;

b) praeceptum ipsum. Quo nimirum quisque fidelium saltem semel quoque anno fideliter confiteatur peccata sua, admonentur sacerdotes, ut more peritorum medicorum superinfundant vinum et oleum vulneribus sauciati; atque caveant, ne verbo, signo vel alio modo prodant peccatorem.

c) conjunctio praecepti confessariis dati cum praecepto fidelibus imposito. Nemo ignorat,

---

c) ad remissionem peccatorum jure divino necessarium esse confiteri omnia et singula peccata mortalia nec non circumstantias, quae peccati speciem mutant;

d) doctrinam esse damnandam, siquis dixerit, confessionem tantum esse utilem ad erudiendum poenitentem et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam, aut non licere confiteri peccata venialia.

e) anathema dicitur iis, qui docent, confessionem omnium peccatorum esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam, et ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus fideles semel in anno.

Qua autem ratione cum hac doctrina sigillum confessionis conjuncta sit, ita quidem, ut limitatio ejus quoddam dogma tangat, non intelligo.

4) Conf. §. 1. not. 7. §. 7. Nro. I.

prioribus temporibus fideles, non aliter impeditos, obligatione adstrictos fuisse, Eucharistiam ter[5]) quoque anno sumendi et peccata confitendi, nec quisquam negabit, hoc praeceptum esse legem disciplinarem. Quomodo autem patres in concilio congregati praeceptum divinum, ut vulgo de sigillo traditur, cum lege mere disciplinari, sine ulla mentione facta, conjungere potuissent? Nonne concilii fuisset, confessariis mandatum sigilli divinum probare atque allegare?

d) exceptio a Theologis statuta, qua manifestatio cum licentia confitentis fieri possit. Denique

e) certamen inter Academiam Parisiensem ortum et Jesuitas, qui inter alias doctrinam illam rejiciebant, quâ volunt, confessarium, cui confessionis ope innotuerit conspiratio vel attentatum contra regis personam vel regnum et, ut uno verbo dicam, crimen laesae majestatis, obligatum esse ad revelationem secreti faciendam magistratui [6]). Quare primus Parlamenti praeses, nomine Verduinus, convocavit illos et proposuit, facultatem in Academia docendi interdictum iri, nisi doctrinam ad normam illius in Gallia receptae componerent. Responderunt Jesuitae: mandatum ipsis esse dictum, ut ad leges loci, ubi viverent, se conformare debe-

---

5) c. 16. D. 2. de consecrat.

6) Histoire du regne de Louis XIII. par M. le Vassor tom. 1. p. 215.

rent [7]). Ex his consequens est, Academiam sigillum confessionis, exceptis tantum laesae majestatis criminibus, agnovisse, semper praedicasse, minimeque concessisse, ut alia doctrina hac de materia doceretur. Si Jesuitae, fortissimi ac commodi S. Pontificis sollicitissimi milites, revelationem secretorum [8]) licitam agnoscebant, in casu quidem, ubi maxima certitudine praevideri potuit, reos gravissima corporali poena punitum iri [9]), num porro de jure divino sermo esse poterit? Concilium Lateranense generaliter locutum est, sine ulla exceptione, quis potestatem illam statuendi, Academiae tribuit? De dogmate et jure divino certe sibi facultatem non sumpsisset, sed lex disciplinaris dependet ex modo ac ratione receptionis.

Rationes expositae cogunt, in sigillo confessionis agnoscere legem disciplinarem, ex qua emanat:

I. unicuique principi jus competit, illud limitandi. Ordinationes [10]) ecclesiasticae cum bono

---

7) Nous avons un ordre positif de suivre les lois du pais, ou nous vivons p. 289 in f.

8) Boehmer jus eccles. lib. 5. tit. 38. §. 50. Breiger l. c. p. 17. Aliter sentit *Versuch* p. 103 etc. et not. p. 21—27.

9) Godofredus a Bavo testis est, sacerdotem, machinationem contra principis personam aut ejus statum non detegentem poena mortis punitum iri.

10) Euseb. Amort l. c. disp. 2. quaest. 3. p. 44. docet, omnia ad confessionem necessaria at utilia a Christo non esse ordinata, sed ecclesiae determinationi multa relicta. Et his relictis sigillum esse adnumerandum, nemo negabit.

publico ac salute singulorum itemque omnium conveniant necesse est, quodsi deficiat haec consensio, illorum receptio ex parte imperii civilis omnino deneganda. Quis autem est, qui laudat legem et approbat, qua privilegiatus civium status delictorum scientiam habere possit, quin reos detegat? Num doctrina: ecclesiam esse in republica, uniuscujusque intellectum ac rationem nondum attigit? Et si ita res se habet, cur scientes ad manifestationem non ubique locorum obstringuntur? — Non solum jure gaudet princeps, sed

II. illius officium est, sigillum certis finibus includere. Ad summa eoque immutabilia et inalienabilia principis jura est adnumerandum justitiam administrare, jus dicere laeso, suum cuique tribuere, delinquentes punire, laesiones impedire atque legibus parare auctoritatem. Quomodo autem imperans officio suo fungi valet, quamdiu existit societas, quae, conscia, ocultat delicta? Confessarii omnes ab imperio defensionem ac tuitionem postulant ac recipiunt, sicut caeteri cives, nonne etiam, ut alii, auxilium necesse est ferant, ut aliorum jura secura sint vel reddantur? An officiorum civilium qui oblitus est civis, probus Christianus esse potest? — In primis ecclesiae saeculis delinquentes publicam poenitentiam agere cogebantur, et crimina oculta, quanquam in secreta confessione concredita, publice detegebantur: firmamentum ac columna fuit hoc institutum, quo niti potuit respublica: at nostris diebus est maximum arcanum, inspectioni saeculari plane subtractum, ita quidem, ut ejus abusus ab imperio

impediri nequeat[11]). An causa deficit? — Multi casus reservantur, at de machinatione in optimi principis vitam, de crimine laesae majestatis, de furto non restituendo ac damno resarciendo nullum verbum reperitur. Nonne majoris momenti sunt haec delicta, quam raptus sponsae, injectio manuum in clericum, saepius flagellis dignum, pollutio caemeterii per seminis effusionem[12]) et quae ejusdem generis alia sunt eaque perversa? Et propria et subditorum salus postulat, ut princeps satisfaciat officio atque sigillum confessionis intra certos terminos contineat. Haec lex eo tempore praescribi potuit, quo ecclesia vel (ut rectius dicam) summus pontifex super regna et populos dominabatur, quo principes Apostolicae sedis vasalli erant: nostra aetate reges agnoscunt jura et officia, quae ipsis a Deo sunt tributa et imposita, indeque denegarent legis sanctionem, quae tam late patens et his generalibus verbis concepta et juri publico et saluti singulorum adversaretur. Quid a potestate civili fieri potest in constituenda disciplina, quae est causa, quae mutationem constitutae impediat, simulatque constitutionibus civilibus non convenit adeoque justitiae administrandae obstat? —

---

11) Müller p. 69.

12) Fornicatio clerici in majoribus ordinibus constituti in nonnullis dioecesibus est casus reservatus, at quisque parochus facultate gaudet absolvendi ex speciali gratia. Quidni etiam sacellani? Rationem quisque intelligat.

Jam clamorem audio Catholicorum, qui sententiam propositam damnant tanquam scandalosam, bonis moribus contrariam, piis auribus offensam et confessionem fidelem cum omnibus circumstantiis abrogantem. Equidem vero iis, quae jam superius dixi [13]), adjungo: qui timent, nullum fideliter confiteri peccata sua, parum fiduciae habent doctrinae, qua obligantur fideles, ut omnes circumstantias peccatorum manifestent. Hanc disciplinam a Deo praeceptam qui receperit, eum non deterrebit sigilli violatio, quin incitamentum erit detectio, ut vitentur peccata et delicta, ac si forte minor sit confessionum numerus, eo major utilitas proveniens redundabit in confitentes. Cordis conversio vera certius sperari potest ab eo, cujus delicta publice deteguntur, quam qui maximo arcano conscientiam liberat onere. De reliquis sileo attributis, quum aliae sententiae, sanis principiis ac rationibus nixae eaeque verissimae tanquam scandalosae piisque auribus offensae pronuncientur. Hac via imperium civile et ecclesia laborant unitis viribus in humani generis salutem, consentit in consequendo fine utraque potestas, sese adjuvat, supplet atque perficit.

§. 26.

Continuatio.

Sigilli limitatione constituta, sententia mea non eo tendit, ut judici tribuatur facultas, tempore quocunque voluerit, sacerdotem citandi

---

13) §. 7. Nro. II.

atque inquirendi: sed confessarius ipse tanta ratione praeditus sit oportet, qua sciat et intelligat, quae ei concredita fuerint, et quae magistratui sint detegenda. Maxime ideo necessarium est, ut definitis clarisque verbis praescripta sint delicta aperiunda. Hic referri possunt, quae ad securitatem ac salutem publicam nec non privatorum et ad laesionem aliorum nondum reparatam spectant. Confessarius, qui ea cognita habet, solummodo obligetur, ut denunciet judici, qui agat, quod lex poscit atque ratio [1]). Quo facto denuncians recedat necesse est, sibi bene conscius, se qua civem officio suo satisfecisse [2]). Eo facilius hoc fieri potest, quo majus est inquirentis officium, ut omnia indicia et probationis media ipse colligat. Sacerdos modo viam aperit, quae ad detegenda delicta iniri debeat. Si v. g. notum est, furtum esse commissum, judicis est, omnem operam impendere, ut reum detegat: confessarius, cui delinquens furtum confessus est, demonstrat domum, quae occultat res amotas. Dum inquirens forte multos per dies frustra suspectas personas citat et tempus, quo ablata transferantur in alium locum, concedit, revelatione reus et res statim inveniuntur. Vel si fama, nullum reum nec alias circumstantias denotans, ad judicem pervenit, in principis vitam machinationes strui, iis avertendis et reis detegendis studeat. Revelato a sacerdote loco, quo coetus habeatur vel quo insidiae struantur, nominatis

1) Breiger l. c. p. 56.

2) *Archiv* tom. 2. p. 167.

nonnullis reis, processus inquisitorius adversus eos instrui non nequit. Fundamentum adest et multi suspecti, at innocentes liberantur ab inquisitione, sanitati famaeque quam maxime noxia. Multa alia exempla, quod magnum commodum ex revelatione redundet in rempublicam, demonstrant.

Confessarium vero qua denunciantem ad testimonium perhibendum provocare vel compellere, id adversatur

a) processui inquisitorio. Inquirens enim omnia indicia, quae reum tangunt atque aggravant, vel ipsi favent, colligere et in inquisitione illis uti debet. A quo, qua via ac modo scientiam sibi acquisiverit, hoc non adtinet ad delinquentem et si nonnulli jurisconsulti [3]) postulant, ut denuncians nominetur inquisito et testis sit, illis inquisitorium processum cum accusatorio mihi miscere videntur. Denuncians delictum notum facit, ut officium suum in inquirendo judex observet nec vero poenam tanquam litigans persequitur, cum veluti via sit, qua inquirens delictum detegat et eruendae veritati studeat. Considerari debent indoles denunciationis, personae nec non causae denunciantis moventes atque genus delicti: quibus omnibus si probabile redditum fuerit, crimen vel commissum esse vel perpetratum iri, processus est instruendus. A judice ergo

3) Kleinschrod Abhandlungen aus dem peinlichen Rechte und peinlichen Processe 1. Th. Nro. 6. Fateor, omnes rationes expositas mihi non persuadere posse, ut denunciantem testem esse, posse credam. Quae sentio, alio loco ac tempore proponam.

dependet omnis instituendus processus criminalis, non a denunciante, cujus minime intersit, denunciata num vera sint nec ne. Aliter res se habet, si denuncians testis quoque esse debet ac nominatur. Tum ejus quam maxime refert, denunciationem propter imminens detrimentum reddere veram. Delicto ab ipso probando atque omni exceptione et excusatione denunciati removenda apparet accusator, qualis vi officii sui non esse potest confessarius, qui nihil probare valet. Factum confessionis exponere non nequit, et si confitens concedit, confessio extrajudicialis adest, quae indicii vi gaudet et ad condemnandum non sufficit. Inquirentis est delicti et omnium circumstantiarum ad rem pertinentium, veritatem eruere, eorumque plenam probationem facere. Sed quid ad haec sacerdos, qui scientiam in denunciatione communicavit, conferre potest? Refragatur quoque hoc

b) sacerdotii ac verbi divini ministerii dignitati. Denunciantis finis nullo modo esse potest ac debet, ut confessus poena corporali afficiatur, sed tantum ut delicta impediantur et damna resarciantur [4]). Ejus testimonium punitionem adjuvaret et tum familiae rei tum vero etiam aliorum odium pararet. Hoc autem non tanti momenti esse videtur, ut verbi divini ministerium ac sacerdotium odiosum et contemnendum reddatur. Ut autem abusus omnis tollatur, vel saltem minuatur, summo imperio maximae sit curae, multos confessarios

4) Brrioer l. c. p. 58.

fieri humaniores, qui aliorum bonis gaudeant et ipsorum mala doleant. Judex in denunciationis actu ipse dehortetur ad veritatem absque inimicitia et amicitia dicendam, proponat, quantum periculum damnumque existat iis, qui denunciantur, et sacramento adigat. Probata denunciationis falsitate puniatur confessarius eadem poena, qua denunciatus, nisi innocens fuerit.

§. 27.

Consectaria.

Confessarii revelatione

a) judici offeruntur indicia, quibus processum instruere possit [1]. Sicut aliunde profectis indiciis utitur, ita etiam iis, quae audiverit, utatur summa cum cautione ac prudentia, ne dignitas sacerdotiique munus et ipsa confessio reddantur odiosa infestaque.

b) certum fundamentum instruendi processus praebetur, ita quidem, ut delinquens ipse statim comprehendi possit.

c) tempus non perditur investigando reo, et parcitur famae suspecti, at innocentis.

d) facinoris vestigia deprehenduntur.

e) socii v. g. perduellionis, facile innotescunt.

f) futura crimina impediuntur remediis, quae opponuntur et damna provenientia e delicto commisso futura avertuntur.

g) judex viam inire non nequit, qua, si inquisitus convictus vel confessus fuerit, damna laeso reparanda sint.

---

1) *Archiv* tom. 2. p. 168. Layser cit. medit. Nro. 2.

h) judex ratione habita temporis, loci, sociorum, armorum, quibus delictum consummatum est, omniumque circumstantiarum delinquentem convincere vel ad confessionem commovere potest.

i) inquirens non timet, ne innocentem custodiae tradat, neve si iste non convinci potest, nec confessus est, magnam injuriam faciat.

k) inquisitionis sumptus non frustra impendi, praesumendum est.

l) denunciato juramentum purgatorium imponi posse arbitror.

Atque alia praeterea commoda inde emanare, praxis unumquemque docebit.

§. 28.

Sanctiones recentiorum legislationum nonnullarum.

Ex illis principiis legis disciplinaris legislatio *Borussica* intra certum terminum circumscripsit sigillum confessionis his [1]) verbis: „Wer „von einem Verbrechen, wodurch die Sicher„heit des Staates oder Leben, Gesundheit, „Ehre oder Vermögen eines Menschen einer „erheblichen Gefahr ausgesetzt werden, vor „dessen Ausführung Wissenschaft erhält, ist „schuldig, dasselbe durch Anzeige bei der „Obrigkeit oder durch Benachrichtigung des„sen, gegen welchen das Unternehmen gerich„tet ist, zu verhindern [2]).“

1) *Landrecht für die Preufsische Staaten* Th. 2. Tit. 20. §. 80. Th. 2. Tit. 11. §. 80 — 82. *Preuss. Criminalordnung* §. 313.

2) *Versuch* in not. aa. bb. cc. p. 4.

„Was einem Geistlichen unter dem Siegel „der Beicht oder der geistlichen Amtsverschwie- „genheit anvertraut worden, das muſs er bei „Verlust seines Amtes geheim halten.

„Auch zum gerichtlichen Zeugnisse über „den Inhalt solcher Eröffnungen kann ein „Geistlicher ohne den Willen desjenigen, der „ihm dieselbe anvertraut hat, nicht aufgefor- „dert werden.

„Soweit aber die Offenbarung eines solchen „Geheimnisses nothwendig ist, um eine dem „Staate drohende Gefahr abzuwenden oder ein „Verbrechen zu verhüten oder den schädlichen „Folgen eines schon begangenen Verbrechens „abzuhelfen, oder vorzubeugen, muſs der Geist- „liche dasselbe der Obrigkeit anzeigen."

Eadem jubet lex *Magni Ducatus Vinariensis* [3]): „Sowohl in Civil- als Criminalsachen „sind die Geistlichen verbunden, von den welt- „lichen Gerichten sich als Zeugen abhören zu „lassen: ausgenommen sind diejenige Fälle, wo „einem Geistlichen unter dem Siegel der Beichte „oder der geistlichen Amtsverschwiegenheit Er- „öffnungen anvertraut wurden. Sollte aber in „einem solchen Falle durch die Aussage und „Angabe des Geistlichen Unglück und Nach- „theil vom Staate oder von Einzelnen abge- „wendet, ein Verbrechen verhütet oder den „schädlichen Folgen eines begangenen Ver- „brechens abgeholfen werden können, so kann „das Siegel der Verschwiegenheit nicht stär-

3) Verordnung vom 22. Oct. 1823 §. 38. die Verhältnisse der kath. Kirchen und Schulen betr.

„ken seyn als die Verbindlichkeit des Staats-„bürgers[4]).“

Ac probantur mihi hae ordinationes, quibus confessio securitatem publicam salutemque civium temporalem promovet, damnum futurum impedit, et bonum ex illa oriundum multiplicatur.

Stübel[5]) agnoscit sigillum cum exceptionibus, quae spectant ad poenam: contra quem sententiam multa egregie admonuit Mittermaier[6]).

In Codice criminali *bavarico* praescriptum est[7]): „Jeder Unterthan ist schuldig, Ver-„brechen oder Vergehen, welche in seiner Ge-„genwart vorbereitet oder angefangen werden, „oder von welchen er sonst weiſs, daſs sie „geschehen sollen, entweder durch schleunige „Anzeige bei der nächsten Obrigkeit oder „durch Warnung der dadurch gefährdeten Per-„son und im Falle der Unthunlichkeit des Vo-„rigen, durch Herbeirufen oder Herbeiholen „Anderer oder durch sonstige in seiner Macht „habende Mittel, soweit es ohne Gefahr für „ihn selbst oder einen Dritten geschehen kann, „zu verhindern.“ Inter personas, quae a tali officio liberantur[8]), confessarii non numerantur. Unde optime colligitur, sacerdotes qua cives delicta committenda, quorum scientiam

4) Conf. Mittermaier l. c. p. 345—348. Breiger p. 55.

5) Sächsischer Entwurf art. 61.

6) Ueber den neuesten Zustand der Criminalgesetzgebung p. 177.

7) art. 78. conf. art. 88.

8) art. 79.

quocunque modo sibi acquisiverunt, detegere debere vel magistratui, qui ea impediat, vel illi, cui immineant. Art. 204. non obstat, quia tantum de testimonio dicundo loquitur et quam maxime differt denunciatio a testimonio. Non ignoro, multos esse, qui contendant, confessarios ad analogiam defensoris[9]) haud obligatos esse ad detegenda: sed ordinatio modo sententiam fert de delictis perpetratis, et quod ad committenda attinet, obstrictus manet defensor ad aperiunda ea vel politiae, ut impediantur, vel ei, cui immineant mala[10]). Itaque ex analogia sequitur, confessarios quoque in iis, quae perpetranda sint, esse obligatos ad denunciandum. Praxis legi contraria esse dicitur.

Legislatio *Badenarum*[11]) jus canonicum plane abrogavit ideoque etiam sigillum confessionis a magistratu criminali non est honorandum ipseque confessarius ad ea detegenda, quae ei manifestantur, jure civili obstrictus. Nec vero ullus extat casus, in quo judex revelationem confessionis postulaverit.

Ordinationes *Borussicae* nec non *Bavaricae* quodammodo favere videntur sententiae propositae et obstringunt confessarium ad denunciandum absque testimonio in judicio criminali perhibendo: *Vinariensis* illa recipere videtur sen-

---

9) Verordnung v. 24. Januar 1815.

10) Jahrbücher der Gesetzgebung und Rechtspflege in Baiern von v. Gönner und v. Schmidtlein 1. B. p. 109. 110.

11) Zweites Einführungs-Edict des Code Napoleon vom 22. Decemb. 1809. Rgsbltt. Nro. 53. sub Nro. 3.

tentiam, qua denuncians testis esse non nequit: omnes autem in sigillo legem disciplinarem tantum agnoscunt. Si enim istud tanquam jus divinum vel dogma haberent, certe his limitibus non circumscripsissent et Curia Romana nec non Episcopi precibus effecissent, ut lex, doctrinae catholicae contraria, abrogaretur. Nec vero ullo loco ejus generis petitiones auditae sunt. Sensim imperium civile sibi vindicat jura, quae, quo tempore respublica in ecclesia fuit, detracta sunt, atque concordiam revocabit illius aetatis, in qua sacerdotium spiritualia curabat, non curans temporalia. Certi sunt uniuscujusque potestatis fines, quos si transgressa fuerit, nullo modo salutem sibi parabit.

Corrigenda et Emendanda.

Pag. 18 lin. ult. leg. *natura* pro *naturam*.
— 79 — 14 — *manifestato* pro *manifestatio*.